





1865.
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

2VA

13

17310

6a

IVRIS
PATRONATUS
GENVINA REPRAE-
SENTATIO

INDVLTV

FACVLTATIS IURIDICAE

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BÖHMER. O

ICTO POTENTISS. REG. BORVSS. CONSIL.

INTIM. PROF. IUR. ORDINARIO

ET h. t. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMAS IN VTROQUE IVRE OBTINENDI DIGNITATES
SISTITVR

ET

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

D. IX. NOV. MDCCXX.

H. L. Q. C.

SVBIICITVR

THOMA FRIDERICO GERCKEN

LVBEC.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.



IN VESTRO
PATRONO
GENIVARUM
SEPTIMO
IN VESTRO
PRO VESTRO
IN VESTRO
IN VESTRO



INCLITAE S. R. I. LVBECENSIVM REIPVBLICAE
SENATVI

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, GE-
NEROSIS, AMPLISSIMIS, CON-
SVLTISSIMIS, PRVDENTIS-
SIMISQVE

DOMINIS

CONSVLIBVS

SYNDICIS

SENATORIBVS

PROTONOTARIO

ET

SECRETARIIS

)(2

MAECE-

MAECENATIBVS, PATRONIS,
FRATRI,

OBSEQUII, OBSERVANTIAE AMORISQUE CVLTV
NVNQVAM NON PROSEQVENDIS

DISSERTATIONEM HANC, QVAM INAVGVRALEM
VOCANT, IN SVI COMMENDATIONEM
MEMORIAMQUE

SACRAM ESSE CVPIT

TANTORVM NOMINVM

cliens cultorque perpetuus

THOMAS FRIDERICVS GERCKEN.



DISSERTATIO INAUGVRALIS
GENVINAM
IVRIS PATRONATVS
REPRÆSENTATIONEM
SISTENS.

§. I.



Vris patronatus doctrina Ratio dubi-
tandi contra
thema ele-
ctum.
decanatissima, & a multis inter-
pretibus iuris ita exornata & enu-
cleata videtur, vt nulla amplius lu-
ce, nullo duce indigere videatur.

Nec enim mirandum est, huic iu-
ris articulo euoluendo tot ICros
incubuisse, cum fora ecclesiastica
quotidie fere occupet, & nouas obseruationes & ex his
nouas lites producere soleat. Ergo γλαῦν εἰς Αθήνας
forfan, vel post Homerum Iliada scribere videor, cum &
diffusissimam elegerim materiam, quae concisa dissertatio-
ne explicari nequit, & simul *vulgatam*, quae satis ab aliis
est excussa, vt vix aliquid alienae industriae relictum esse
videatur.

§. II. Enim vero id nunc non ago, nec intendo, quae resolu-
tur.
quod mihi obiici posse dixi. Molem huius materiae ex-
tri-

tricare, & ex aliorum scriptis recoquere absonum foret, multo minus, quae in vulgus de hac doctrina tradi solent, hic congeram; id enim sine fructu omni foret. Alia nunc profus menti meae insidet sententia, & omnis in hoc sum, vt *verum iuris patronatus conceptum* euoluam, eumque a tot inueteratis erroribus & praecudiciis vindicem, liberem, purgem. Quamdiu enim *vera & genuina* rei alieuius vel iuris *repraesentatio* deest, vel corrupta & deprauata mentis nostrae oculis obicitur, non possunt non conclusiones dubiae, incertae & falsae inde deriuari! Etiam hanc procellam saepius in hoc amplissimo mari excitari, strepitus forensis docet, & interpretum anxietates in enucleandis dubiis his motis, confirmant. Continebo me itaque intra hos terminos, vt ex origine & progressu huius iuris *veram eius repraesentationem* sistam, & eum *conceptum* de hoc iure formandum curem, qui ab omni errorum fece immunis est. Id quod si praestitero, vel per indicem ostendere possum, quam secure & inoffenso pede in hac doctrina procedi possit. Neque enim in hac doctrina omnia sunt per leges & iura deterrinata: pleraque ex eius *natura, & vero conceptu* sunt definienda, & decidenda, & tamen plerique interpretes admodum *superfictarie* hanc, quam mihi poposci prouinciam, administrarunt.

Conceptus iuris patronatus obscure a plerisque propositus.

§. III. Proinde a tramite veritatis haud aberrauit A. N. TONIVS FABER in *tr. de relig. in republ. reg. lib. III. c. 6. n. 4.* pronunciando, huius iuris doctrinam *confuse & obscure* ab interpretibus fuisse tractatam, fontes vero & venas huius mali non aperit, multo minus errores emendat. STEPHANI *de iure patron. in dedic.* itidem conqueritur, ius vniuersum patronatus *disperse & confuse* a plerisque scriptum fuisse; sed rectora vix tradere potuit, postquam conceptum huius iuris genuinum euoluere neglexit. Talis imprimis confusio in antiquioribus commentariis, qui titulum *X. de iure patron.* explicuere, deprehenditur

ditur, quorum seriem enarrat HAHNIVS *de iure patron.* Auctores de
ab init. ROCHVS de CVRTE *in tr. de iure patron.* a recen- bac materia
tioribus vt plurimum allegatur, quitamen nil nisi confu- recensentur.
sum chaos tradit. Nec meliora expectanda sunt a PAV-
LO DE CITADINIS *in tr. de iure patron.* qui circa initium
seculi XVI. scripsit, quamuis etiam a plerisque recentio-
ribus laudari in hac materia solet. Praetereo ANTONI-
VM de BVTRIO, IO. de ANANIA, IO. PETRVM de FON-
TANELLA, CAES. LAMBERTINVM aliosque, qui sine iu-
dicio tantum tradita Dct. compilarunt, & destituti ido-
neis subsidiis de hoc iure scripserunt. Inter nostrates
MATTHAEVS, STEPHANI iam sepeuagesimum tertium an-
num agens, de *iure patronatus* edidit tractatum, metho-
do quidem non inepta, sed vnice ex fundamentis, quae
a canonistis recentioribus supponuntur & adferuntur. Vti
enim in aliis scriptis suis, in quibus *iura ecclesiastica* ex-
plicat, nunquam ab his principiis recedit, eaque etiam
ad protestantium ecclesias applicare intendit, ita in hac
materia quoque veram huius iuris repraesentationem de-
siderari, ipsa lectio docebit. SIGISMVNDVS FINCKEL-
THAVS *in tr. de iure patron.* praedictum Stephani fideliter
secutus est, & antiquorum tradita vt plurimum regustat:
in eo quodammodo praeferendus, quod praxin huius iu-
ris, ecclesiarum saxonicarum imprimis, ostenderit, quae
tamen non vniuersalem ecclesiarum protestantium vsum
euincit, HAHNI *dissert. de iure patron. eccles.* vulgaria tradi-
dit, vt genuinus huius iuris conceptus inde hauriri ne-
queat. A HASVERVS FRITSCHIVS *in tr. de iure eccles.* et-
iam retulit VNRATHI *tr. de iure patron. eccles.* qui tamen
idem collectus est ex Canonistarum deprauata doctrina.
Alios iam non tangam, qui strictim hoc ius vel disserta-
tionibus illustrarunt, vel *in tr. de iure eccles.* simul expli-
cuerunt, vt CARPZOVIUS, BRVNNEMANNVS, ANTONIVS
RABER aliique.

Melioris nota
Auctores
commendantur.

§. IV. Non defuere tamen, qui subsidiis solidioribus instructi, lucem insignem huic iuri attulere, quae praerogativa Gallis merito adscribenda. Inter hos primo loco mihi nominandus est FRANCISCUS FLORENS Antecessor Parisiensis, cuius opera anno 1679. DOVIATIVS edidit. *Part. II. p. 78. seqq.* agit de iure antiquo patronatus, illudque ex Gratiani decreto imprimis illustrat, habita ratione temporis, non confusionis, qua omnia sua miscuit Monachus. Praeterea p. 249. sqq. *titulum decretal. de iure patronatus* illustrat, & ubique id agit, ut omnia sua ex serie antiquitatum illustret, & ita faciem huius iuris obscuratam rectius prae ceteris exhibeat. Hunc secutus est FRANCISCUS DE ROYE Antecessor Andegauensis anno 1667. de iure patronatus tractatum edens, quo itidem plura egregia ex antiquitatibus tradit, & subinde *tit. X. de iure patron.* a quisquiliis veterum interpretum purgare satagit. Saniora etiam sunt, quae tradit ALTESERRA *tit. X. de iure patron.* & denique variam huius iuris fortunam egregie persecutus est LUDOVICUS THOMASSINUS *P. II. de discipl. eccles. Lib. I. c. 29. sqq.* vnde omnino liquet iuris patronatus, prout hodie sese habet, veram imaginem vix antiquissimis seculis cognitam fuisse.

Definitiones
variae Dd.
traduntur.

§. V. Ut vero ostendam, incertam & admodum obscuram esse huius iuris repraesentationem, quam vulgo tradunt, ad definitiones eius, quas interpretes adferunt, propero. Plures id definiunt, quod sit *ius praesentandi institutum episcopo, ad vacans beneficium seu munus ecclesiasticum vel simile, ex eo competens, quod quis ecclesiam vel aliam piam causam fundavit, extruxit & dotavit.* Ita censent LANCELOTTVS *Lib. I. Inst. iur. Can. III. 18. §. 1.* CORVINUS *aphor. iur. Canon. Lib. 2. tit. 33. §. 10.* MAHN. *tit. I. §. 10.* CANISIUS *ad tit. X. de iur. patron. 12.* STEPHAN. *de iur. patron. c. 6. n. 1.* SCHILTER *inst. iur. canon. lib. 1. tit. 14. §. 7.* FINCKELTHAVS *de iure patron. c. 2.*

c. 2. n. 1. Ex huius definitionis conceptu liquet, ius patronatus vnice & essentialiter in iure praesentandi constitui, quod etiam SCHILTER *cit. l.* illustrat. ROCHVS DE CVRTE in *tr. de iur. patron. circa pr. sit.* hoc ius esse honorificum, onerosum & vile alicui competens in ecclesia pro eo, quod de dioecesani consensu ecclesiam fundauit, construxit vel dotauit. Eandem definitionem suam facit repetitue WUESTNER ad *tit. de iure patron. art. 1. n. 5.* Amplior est conceptus huius definitionis, sed obscurior, cum non distincte ostendat, quale illud ius honorificum, vile & onerosum sit. Interim, vt ex *sqq.* liquebit, comparative loquendo videtur priori praeferenda. Generalem eiusmodi definitionem quoque struit FRANCISCVS DE ROYE in *prol. cit. tr. p. 2.* reiiciens eam, quam primo adduxi loco definitionem, & hanc substituens: *est ius, quod fundatori alicuius ecclesiae in ea competit.* Praeuidit enim praeiudatus Auctor, primam definitionem non exhaustire conceptum iuris patronatus, quamuis eius definitio distinctum & determinatum quoque conceptum non sistat. FRANCISCVS FLORENS *cit. l. p. 78.* forsan FRANCISCO DE ROYE viam monstrauit, qua eundem esset, quia itidem generaliore definitionem tradidit, quod sit *ius singulare, moribus receptum, ei benigne concessum, qui aedificauit, dotauit, vel instaurauit sacra & venerabilia loca.* Non ausus est praeiudatus Auctor ius illud singulare specialius definire, ne forsan crabrones irritaret, quo ipso factum est, vt definitio haec nullam distinctam ideam de hoc iure in animo lectoris operari queat. Sunt enim infinita *iura singularia*, in quibuscunque iuris articulis, quorum appellatio generalis nullum specialem conceptum formare potest. Interim facile FLORENS animaduertit, ius hoc sola praesentatione haud absolui, sed latiore eius ambitum esse. Similiter INNOCENTIVS CIRONIVS in *parauit, decretal. ad iur. de iur. patron. vt & ALTESERRA ad*

c. 26. X. eod. fatentur, praecipuum ius quidem in *praesentatione* consistere, sed ad eam ius hoc haud restringendum. Idem sine dubio quoque deprehendit MELCHIOR LOTTERIVS *de re benef. lib. 2. q. 22.* adeoque paulo amplio-rem verum haud clariorem dedit definitionem, asserendo, ius patronatus esse, *certam praevogatiuam per ecclesiam concessam cuiuspiam in retributionem bonorum temporalium pro constituendo beneficio ecclesiastico elargitorum.* Vel haec sufficere loco exempli possunt, ut inde liqueat, iuris huius decantatissimi verum, *genuinum & distinctum* conceptum ab interpretibus iuris neglectum esse, sine quo tamen nihil solidi certique in hac doctrina proferri & de-
cidi potest.

Rationes ob-
scuritatis.

§. VI. Obscuritatis huius & incertitudinis plures sunt dari rationes, inter quas hae sunt praecipuae: 1) quod plerique historiam eius neglexerint, qua duce demum in veram rerum moralium indolem devenitur; 2) quod sine discrimine temporum omnia, quae de hoc vel simili iure occurrunt in antiquis conciliis, patrumque scriptis, misceuerint; 3) quod, quae *apparenter* saepe ad hoc spectare videntur, nimis incaute pro *principio principali* adsumserint & *iuris patronatus*, quatenus hoc nomen accepit, auspicia nimis alte repetierint, cum tamen eius *res & nomen* primis seculis incognitum, nec ubique viguerit. Denique 4) quod plerique antiquos glossatores interpretesque veteranos secuti fuerint, quorum inertia tamen & ignorantia pleraque deprauata & adulterata fuerunt.

Inperlustran-
do hoc iure
tres epochae
constituendae.

§. VII. Ut itaque hos similesque scopulos euitem, in originem variamque eius fortunam inquiram. Omnem autem antiquitatem perlustrans tres periodos in *occidente* potissimum constituendas esse iudico, secundum quas de *hoc iure* iudicandum. Prima secula IV. & V. potissimum concernit, quibus huius iuris nomen incognitum fuit, quamuis quaedam vestigia eius, sed obscuriora

scuriora occurrant, vult fundamentum, quod tradi solet, non defuerit. Secundum ad illa tempora refero, quibus *iuris patronatus* nomen cognitum esse coepit, nec sine peculiari significato huic iuri applicatum est. Tertiam denique illis potissimum temporibus dicabo, in quibus, pontificum Episcoporumque inuidia an solertia dicam? admodum infracta est patronorum auctoritas & variis modis ex principiis clericalibus restricta. Sufficiet autem, si probabiliter tantum tempora illa demonstrare queam, cum in tanta rerum obscuritate haud integrum sit, accurate & praecise haec tempora determinare.

§. VIII. Prima periodus in illa cadit tempora, quibus ecclesiae passim exstructae sunt, quae libertas Christiana a CONSTANTINO primitus indulta & postea varie admodum aucta est. Cum itaque fundamentum huius iuris vnicum vt plurimum collocent in *fundatione & exstructione ecclesiarum*, ante omnia videndum, quale ius fundatoribus seculis IV. & V. in ecclesias fundatas tributum fuerit. In oriente facilius quam occidente per haec tempora vestigia *iuris praesentandi vel constituendi clericos* inueniri posse censent THOMASSIVS P. II. *de discipl. eccles. lib. I. c. 19. in f. alique.* quamuis quasdam praerogativas statim fundatoribus concessas fuisse, facilius concedant. Liberalior est FRANCISCVS DE ROYE *de iure patron. in proleg. §. 7. verius esse scribens, statim atque pax data ecclesiae & templa coeperunt libere aedificari, eorumque conditoribus plerumque sensim concessa fuisse iura, quae hodie generali iuris patronatus appellatione continentur.* Alii forsitan iam anno 400. in occidente, & sic citius quam in oriente eius vestigia deprehendi putauerint, prouocantes ad c. 10. *concil. Tolet. i. eo anno celebrati. vid. HARDVINVS tom. I. concil. p. 99. & GRATIANVS in c. 7. d. 54. B. STRYCK. in not. ad ius eccl. Brunnem. lib. II. c. 8. §. 1.*

Quale ius fundatoribus monasteriorum aliorumque piorum locorum. per haec tempora comperierit in oriente.

§. IX. Non adeo mirandum est, plerosque in prima periodo ita fluctuare, quia illud ius, quod hodie *patronatus* vocatur, vt plurimum penes *quemcunque fundatorem ecclesiarum*, quam aliorum *piorum locorum* quaerunt, in quo tamen omnia turbant, miscntque. Tria ergo distinguenda puto, 1) *fundationem scilicet monasteriorum*, aliorumque *piorum locorum*, 2) *ecclesiarum publicarum*, seu *basilicarum & templorum*, & 3) *oratoriorum*. Fundatores *monasteriorum*, *xenodochiorum* aliorumque *piorum locorum* in *oriente* plura ex *fundatione* obtinuerunt iura, quae *ius patronatus* hodiernum quodammodo referunt, quod Episcopi facilius iis indulgebant, quia *Monachi* mere *laici* erant, sicuti etiam *pauperes* in *xenodochiis* vel *prochotrophis*, in quos Episcopi nullam *iurisdictionem* habebant. In concilio Chalcedonensi *monasteria* demum *episcopis* in *oriente* subiecta sunt, & cum eis alia pia loca paulatim. Serius id ipsum factum est in *occidente*, vt concilia *Arelatense III. anno 455.* & *Carthaginense anno 534. & 535.* aperte restantur, docentque, Episcoporum potestatem eo tempore in *monasteria* non vbiq; extensam fuisse. Non ergo mirandum, si horum fundatores circa ea paullo liberiores habuerint dispositionem, eamque etiam retinuerint, postquam haec loca pia inspectioni episcopali subiecta fuere. Inde tamen minime consequentiam deduci potuisse ad *templa & basilicas*, paulo post indicabo, *FLORENS al. l. p. so.* duras constitutiones adfert imperatorum christianorum, quae ius quoddam *fundatorum* horum quidem demonstrant, sed *ius patronatus* intuitu *ecclesiarum* non euincunt. Prima est *ZENONIS in l. 15. C. de SS. eccl. ab Augustino, Contio, & Cuiacio* restituta, & ad annum 479. referenda, atque repetita in *Nov. 131. c. 10.* quae loquitur de his, qui fidem suam adstrinxerant de *opere pio* extruendo, oratorio, *xenodochio* similiue opere, simulque disponitur, vt *promissor* vel *heres* eius cogatur opus perficere, & *perfecto operi dare* eo,

An ius patronatus occurrat in l. 15. C. de SS. eccl.

ea, quae datione continentur. Subiiciuntur vero paulo post: His vero adimpletis administratio secundum ea, quae his, qui libertatem exeruerunt, visa fuerunt, & secundum praescriptos fines fiat. Haec quidem verba adferuntur, ut illustre iuris antiqui patronatus vestigium, sed meo iudicio sine ratione. Administrare bona ecclesiastica secundum praescriptos a fundatoribus limites, eaque applicare eum in vsum, in quem a fundatoribus speciatim fuere destinata, pium, iustum & aequum erat: id vero nullum ius patronatus, quod hodie tradimus, inuoluit, nec ius singulare fundatoribus tribuit. Evidentiora forsitan rudera trahi possunt ex l. 46. §. 3. C. de Episc. & cler. quae lex est IUSTINIANI circa ann. 530. qua fundatoribus eorumque heredibus indultum est, ut bonis possint praeficere administratores, sub inspectione tamen Episcopi, quo non facta, huic talis cura demandata est: praeterea §. p. adiectum, ut in administratione nihil contra voluntatem fundatorum fiat, nec annalia in memoriam defuncti relicta supprimantur aut extinguantur. Alias Episcopi bona ecclesiastica administrabant, vel, quod tempore IUSTINIANI iam introductum erat, Oeconomus constituebant: hoc vero eo demum casu limitabatur, si fundatores rebus a se in ecclesiam constructam collatis, administratores vel oeconomos dederant, quod multo magis in aliis piis locis obtinebat, quae non in omnibus cum ecclesiis equiparari poterant. Praeter hoc ius, quod vnice bona respicit, nihil fundatoribus in cit. l. conceditur, adeoque hoc ipsum minime exhaurit ius illud, de quo quaeritur. Equidem exemplis probat THOMASSINVS cit. l. §. p. fundatores monasteriis abbates dedisse, & inde ita concludit; si fundationis iure Abbates nominabant monasteriorum, quanto probabilius rectores & beneficiarios quarumcunque aliarum ecclesiarum. Enim vero haec illatio haud stringere videtur. Maior potestas erat concessa laicis circa monasteria aliaue pia loca

B

& co-

& eorum rectores, quam circa ecclesiam & clericos illis praepositos, quod illi adhuc *laici*: clerici autem tantum ab episcopo deperderent, & ab eo constituendi essent, in simulque dos ecclesiis assignata in potestate episcopi consisteret.

*Non idem ius
fundatoribus
ecclesiarum
datum ante
Iustiniani
tempora.*

§. X. Id ergo ex haftenus dictis liquet, *fundatores monasteriorum* aliorumve piorum locorum habuisse 1) ius constituendi *administratores* bonorum iis assignatorum & praefectos, vt abbates, xenodochos &c. 2) potuisse definire, in quem usum bona eorumque redditus verti deberent, quae lex a posteris sancte seruanda erat: 3) ius hoc quoque in heredes fundatoris transiisse. Ceterum quod fundatores *ecclesiarum* vel *basilicarum* concernit, his quidem concessum erat, administratores bonis dare & legem his praescribere, vt vel lex ZENONIS indicat; imo & hic honos iis habitus fuisse videtur, vt, pro more vsitato nomina eorum basilicis, vt aliis operibus publicis, inscriberentur, vt obseruat FLORENS *cit. l. p. 82.* Vtrum vero etiam clericos in ecclesiis a se constructis constituere vel nominare potuerint, ante aeuum IUSTINIANI in oriente, id maioribus subiectum est dubitandi rationibus. Tempore enim IUSTINIANI *fundatorum iura* admodum aucta fuisse videntur, prout constat ex *Nou. 57. & 123. c. 18.* Ad eo enim hi ius constituendi clericos ad se traxere, vt vel inconfulto episcopo id fieri posse crederent, sola illi *ordinandi* potestate relicta. Licentiam hanc coangustauit imperator, constituitque, praesentatum prius examinandum esse ab episcopo, & tunc coniunctim ab episcopo & fundatore ecclesiae praeficiendum. Iam ergo seculo VI. receptum hoc ius nominandi in oriente erat, & sine dubio a monasteriis ad ecclesias tractum. Ceterum an seculo IV. & V. eius vsus in oriente intuitu *basilicarum publicarum* fuerit, vel inde dubito, tum, quod eius genuina vestigia non occurrant; tum quod per praxin constantem

tem iam episcopi hoc ius constituendi *clericos inferiores* sibi vindicauerint, & ipse episcopus in basilicis per electionem cleri & populi constitutus, tum etiam quod in occidente quoque per haec tempora fundatoribus ecclesiarum hoc ius negatum fuerit. Vtut igitur IUSTINIANVS hoc ius non demum introduxit, sed moribus recentissimis introductum approbauerit, coarctaueritque, vix tamen est, vt ante eius tempora certi quid de hoc iure referre possimus.

§. XI. Diuersa erat ratio *oratoriorum priuatorum*, quae magnates & ditiores in familiae suae vsu imprimis in villis exstruebant, eaque quodammodo in proprietate sua & dominio habebant, quod in fundis suis eadem exstruerent. Cum ergo in his non publicae, ordinariaeque *conditio* essent, facilius indulgeri horum fundatoribus potuit, vt *domesticum clerum* his praeficerent, eumque ad instar ceterorum domesticorum alerent, semperque secum haberent. Colligo id ipsum ex verbis CHRYSOSTOMI *homil. 18. in acta*, quibus excitat potentiores, vt in villis ecclesias exstruerent: *Oro; ait, & supplico, & gratiam peto, imo & legem pono, vt nullus, qui habet villam, appareat carere ecclesia.* Post pauca pergit: *educa magistrum, educa diaconum & sacerdotalem ordinem; quasi ducta vxore dotem adscribe. Quid non erit illis bonorum? parumne oro, torcular benedici? Deum ex omnibus frugibus partem & primitias accipere? simul prudentem habere sacerdotem simul conuersantem? parumne est in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri.* Talis sacerdos erat in perpetuo conuictu eius, qui *oratorium priuatum* exstruxerat, nec ab alio eligi & nominari, quam ab hoc poterat, vtut episcopi ordinationem accipere deberet, cum tantum esset *sacerdos domesticus, non publicus.* Illustrari hoc commode posse viderur ex *l. 10. C. de haeret. & manich.* anno *511.* lata, quae agit de orthodoxis, praedia sua, in quibus

ecclesiae vel oratoria constituenda sunt, haereticis vendentibus, quod sub poena confiscationis prohibitum est. Docet vero hic textus, tales ecclesias vel oratoria in praediis propriis exstructa, pro parte patrimonii habita fuisse, quod simul cum his venderentur, periculum vero hoc casu esset, ne talia oratoria ab haereticis desererentur. Addit enim ANASTASIVS: hic enim dubitari potest, si haereticos tales veniant possessiones, in quibus verae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt, & integritas colitur, omnimodo ab his deseri atque desitui, & omni cultu vacare, omnibus sacris & solitiis viduari mysteriis, omni splendore priuari, nullis populorum conuentibus, nullis clericorum observationibus celebrari, & ex hoc sine dubio eas ecclesias perire, rueri & complanari.

In occidente per Concilium Toletanum I. ius patronatus non probatur.

§. XII. Ad occidentem transeo, ubi euidentiore occurrunt argumenta, per haec tempora fundatores ecclesiarum clericos haud constituisse aut elegisse. Etenim, qui patronatus ius anno 400. in Concilio Toletano h. c. 16. iam memoratum fuisse putant, nae grauiter hallucinantur. Aiuunt patres: clericos, si qui obligati sunt, vel pro aequatione, vel genere alicuius domus, non ordinandos, nisi probatae vitae fuerint, & patronorum consensus accesserit. Patronorum hic fit mentio, quo nomine patronos ecclesiasticos intelligunt, qui ius patronatus ad haec tempora trahunt. Enimvero nomen patroni, fundatoribus ecclesiarum applicatum, plane hoc tempore adhuc fuisse incognitum, adeo certum est, vt eius non iniiciatur in scriptis ecclesiasticis, legibus, canonibus, decretisque mentio, feriusque hanc appellationem inualuisse omnes fateantur. Quod enim FRANC. de ROYE cit. II. in proleg. p. 2. adfert exemplum de anno 480. & longe antiquius est, & illos non designat patronos in sensu peculiari & forensi, de quibus hic agitur, h. e. fundatores ecclesiarum. Verum sensum huius textus concilii Toletani dedit MARTINVS Bracarensis epi-

episcopus in *libro capitul. c. 46.* apud HARDVINUM
tom. III. concil. pag. 390. seqq. vnde etiam GRATIA-
 NVS eundem retulit in *c. 7. D. 54.* Liquet vero ex hac in-
 terpretatione, de seruis aliterque obligatis sine *dominorum*,
 qui etiam *patroni* vocantur, vt infra demonstrabo, con-
 sentu non ordinandis hic agi. Non ergo in hoc concilio
 horum *patronorum*, de quibus hic agimus, fit mentio, sed
patronorum seu *dominorum*, quorum potestati subiecti erant
 ordinandi. Id indicat MARTINVS tum in *rubr. cit. cap. de*
conditionalibus, h. e. seruili vel alia conditione obligatis
non ordinandis, nisi cum patronorum consensu, tum in ipso
 textu: *si quis obligatus est tributo seruili, vel aliqua condi-*
tionem, vel patrocinio cuiuslibet domus, non est ordinandus
clericus, nisi probatae vitae fuerit, & patroni consensus ac-
cesserit. Loquuntur patres Toletani de *obligatis* seu obno-
 xiiis, & sic vel *seruili* seu alia conditione adstringebantur,
 qui *serui conditionales* vel simpliciter *conditionales*, si serui
 non essent, vocabantur, obseruante IACOBO GOTHOFREDO
 ad *l. 5. C. Theod. de iur. fisci.* Speciatim vero 1) de obligatis pro
 aequatione 2) pro genere alicuius domus agitur. Aequationem
 tributi seruilis speciem fuisse, cenfer du CANGE in *glossar. b. voce.* MARTINI
 Bracarenfis interpretatione forsan deceptus. Nam certum potius mu-
 nus eam denotasse, quod *peraequatio* etiam dictum fuit,
 docet *inulus C. Theod. de censitor. peraequator. & inspe-*
stor. Eorum obligationem & munus breuiter depingit
 GOTHOFREDVS in *paratit. ad cit. tit. & quia* hi non sui
 iuris erant, sed obligati ratione *muneris* suis dominis vel
 patronis, a quibus constituti erant, ordinari non pote-
 rant. Addunt, nec obligatos pro genere alicuius domus
 ordinari posse, quod de his intelligo, qui peculiari in ne-
 xu certae familiae nobilioris & potentioris erant, cum non
 infrequens sit, genus pro gente & *stemmate nobiliori* poni,
 iuxta decantatum illud OVIDII:

Nam genus & proauos, & quae non fecimus ipsi &c.

B 3

Ho-

Horum domini recte *patroni* vocabantur iuxta *stylum* illius aevi, minime ergo dicendum, in *ci. c. 10.* eos, quos quaerimus, *patronos*, occurrere.

Omnes ecclesiae seculo VI. adhuc erant in potestate episcopi.

Praerogativa quaedam fundatoribus episcopis data.

§. XIII. Videlicet generalis adhuc regula in occidente obtinebat, omnes *basilicas* in potestate episcopi consistere. Ad hanc prouocant anno *511.* patres *concilii Aurel.* apud *HARDVINVM* *tom. II. concil. pag. 101.* & *GRATIANVM* in *c. 10. C. 16. q. 7.* his verbis: *Omnes autem basilicae, quae per diuersa loca constructae sunt, vel quotidie construuntur, placuit, secundum priorum canonum regulam, ut in eius episcopi, in cuius territorio sitae sunt, potestate consistant.* Fundatoribus nihil iuris hic asseritur, id quod forsan sibi assererebant, sed tacite illis denegatum videtur. Praerogativa tamen quaedam episcopis, extra suam diocesim aedificantibus, iam indulta erat, quae etiam ad *laicos* trahi poterit, admodum dubium est. In *Concil. Araus. I.* anno *441.* celebrato *c. 10.* apud *HARDVINVM* *tom. I. concil. p. 1785.* patres ita edicunt: *Si quis episcoporum in alienae ciuitatis territorio ecclesiam aedificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permessa licentia aedificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non praesumat dedicationem, quae illi omnimodo referuatur, in cuius territorio ecclesia assurgit, referuata aedificanti episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, in cuius territorium est: vel si ordinati iam sunt, ipsos habere acquiescat. Et omnia ecclesiae gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit.* In singulis ciuitatibus adhuc episcopi erant, adeoque intra eiusdem territorium episcopus tantum disponere poterat. Accidere vero poterat, ut episcopus extra suum territorium ecclesiam exstrueret, quod impediendum non erat, quo casu episcopus dedicationem & omnem potestatem circa eam, quae episcopus, sibi vindicabat. Ad vero prohibendum censuere patres

patres huius concilii, ne fines dioecesum turbarentur. Reseruant ergo, more antiquo, *dioecesos episcopo* ius dedicandi, omnemque praeterea ecclesiae gubernationem; *aedificatori* vero *episcopo* hanc peculiarem *gratiam* indulgent, ut possit ibidem designare clericos, quod *iuri parro-*
natus hodierno quodammodo accedit. Haec *gratia* tan- quae laicis ~~de-~~
negata.
 tum videtur concessa *episcopis aedificatoribus*, non item *laicis*; siquidem in frequentibus de his etiam agitur, & tan-
 tum iis inhibetur, ne extraneum episcopum ad eius dedi-
 cationem inuitent; similis autem *gratia*, quae episcopis
 data erat, iis haud conceditur. Repetitur eadem disposi-
 tio in concil. *Arelat. ii. anno 452. c. 36.* apud *HARDVINUM*
tom. ii. concil. p. 776. simulque in fine additur: *hoc solum*
aedificatori episcopo credimus reseruandum. Praeterea de
laicis in c. 37. concilii Araus. sententia refertur, sed ulterius
 nihil eis tribuitur.

§. XIV. Eo magis vero haec sententia confirmatur, Confirmatur
id decreto du-
plici Gelasii.
 quod circa annum 490. *seqq.* *GELASIVS* Pontifex fundato-
 ribus *laicis* ex legum ecclesiasticarum principiis eius tem-
 poris fere nihil reseruauerit. Duo id textus demonstrant
 apud *GRATIANVM* in c. 26. & 27. C. 16. q. 1. Primus est
 huius tenoris. *Piae mentis amplectenda deuotio est, qua se*
Intius nobis in re Iuliana sui iuris fundasse prohibetur eccle-
siam, quam in honorem sancti Viti confessoris eius nomine ca-
piti consecrari. Hanc igitur, frater charissime, (si ad tuam
dioecesim pertinere non ambigas) ex more conuenit dedicari,
collata primis donatione solenni, quam ministris ecclesiae
destinasse se praefari munera restatur oblatos, sciturus sine
alio praeter processonis adiutum, qui omni christiano debe-
atur, nihil ibidem se proprii iuris habiturum. Alter textus
 eiusdem est tenoris, eademque clausula eidem subiicitur:
Nihil tamen sibi fundator ex hac basilica noueris vindican-
dum, nisi processonis adiutum, qui christianis omnibus in com-
muni debetur. Nihil iuris proprii & singularis a GELASIO
 attri-

attribuitur fundatoribus, sed *ius commune* omnium fide-
 lium tantum eis competere asseritur, quod in *processionis*
aditu constituit. Falli eos, qui *ius patronatus* per *adi-*
sum processionis significari cum glossa asserunt, egregie iam
 ostenderunt FLORENS *cit. tr. p. 84. seqq.* LVCAS HOL-
 STEINIVS in *collect. Rom. p. 209. sq.* CANGVS in *gloss. hac*
voce. SAMVEL BASHAGE in *annal. eccles. ad ann. 243. S. 2.*
 Ipse quoque contextus ostendit, *aditum processionis* ius
 quoddam omnibus fidelibus commune esse, adeoque *ius*
patronatus singulare denotare non potuit. Videlicet *pro-*
cesso erat *conuenius fidelium sacrorum causa*, *συνάξις* seu
 collectio populi, & quia potissimum ad missam audiendam
 hic conueniebat, haec postea dici coepit primario *συνά-*
ξις, vt sic quoque eodem modo *processio* & *aditus processio-*
nis nihil aliud denotauerit, quam *itio ad ecclesiam sacro-*
rum causa. Generatim enim *procedere* denotabat, *domo*
exire, & *ad aliquid peragendum ire*. Ita explicat TER-
 TVLLIANVM ALBASPINAEVVS in *not. ad lib. 2. d. vxor. c.*
4. vbi ita: *Si procedendum erit, nunquam magis familiae*
occupatio adueniat. Idem significatus quoque iuris Ro-
 mani est, vt ostendit BRISSONIVS de *V. S. voc. procede-*
re. Quo circa recte censuit Cardinalis BONA *lib. 2. rer.*
liturg. c. 32. n. 1. asserens, *procedere apud antiquos nihil a-*
liud est, quam in ecclesiam ad synaxin celebrandam con-
uenire. Duplex vero videtur *processio* obtinuisse: *simp-*
plex, qua quilibet sine comitatu solenni ecclesiam frequen-
 tabat, & *solennis*, quae fiebat in comitatu *episcopi & cleri.*
 Moris enim erat, vt clerus & populus ad ecclesiam epi-
 scopum euntem comitaretur, & ita procederet. Hic *ad-*
itus processionis sicuti omni populo communis, ita aedifi-
 catori multo magis indulgendus erat, in quo comitatu
 deinceps locum accepit *honorificum.* Ex hac *processione*,
 quae fiebat ad ecclesiam in comitatu populi & cleri, sine
 vlla tamen alia pompa, postea *processiones extra ecclesiam*
 super-

duplex pro-
 cesso.

superstitiose inualuere, vt recte eruditi obseruant, & eas tempore GELASII adhuc incognitas fuisse docent.

§. XV. Sicuti itaque ex hæcenus dictis liquet, patronis laicis nihil adeo a GELASIO indultum fuisse; ita adhuc seculo VII. vestigia occurrunt, quæ hoc confirmant. In Hispania certe ita patres censuere: nam in concil. Tolet. IV. anno 633. c. 33. apud HARDVINUM tom. III. concil. p. 587. & GRATIANVM in c. 6. C. 10. q. 1. ita sancitum, *Nouerint autem conditores basilicarum in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere; sed iuxta canonum instituta, sicut ecclesiam ita & dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere.* Id solatii tamen fundatoribus in c. 38. eiusdem concilii indulgetur, vt si ad inopiam redacti fuissent, ex redditibus ecclesie alerentur. Nihil vero singulare Episcopos rursus hoc ipso fundatoribus indulsisse, ipsimet fatentur. Eo tempore adhuc pauperes de rebus ecclesie alebantur, quanto magis ergo, aiunt patres, *his consulendum est, quibus retributio iusta decetur.* In concilio TOLETANO IX. anno 655. celebrato c. 1. & 2. ap. HARDVINUM cit. l. p. 673. & GRATIANVM in c. 30. & 31. C. 16. q. 7. plus fundatoribus indulgetur, tum vt inspectionem in bona ecclesiastica habeant, præcaueantque, ne quid ex illis alienetur vel consummatur, omni tamen *propriæ iuris potestate* illis denegata, tum vt rectores idoneos episcopo ordinandos offerre queant.

§. XVI. Sicuti vero hæc iam ad seculum VII. spectant, ita magis quoque referenda sunt ad *periodum secundam*, in qua vera *iuris patronatus* facies, prout hodie sese habet, efformata videtur. Iam PELAGIVS papa circa annum 557. fundatoribus indulsit, vt offerre possent clericos episcopo consecrandos, ceu docet c. 31. C. 16. q. 1. c. 4. & 30. C. 18. q. 2. Præterea etiam textus vltimus docet, potuisse fundatores tempore dedicationis legem quo-

*Confirmantur
dicta ex vestigiis
seculi VII.*

Periodus se-

conda.

C

quo-

quodammodo ipsis redditibus scribere. Quin etiam hoc ius iam transiisse in heredes, GREGORIVS anno 598. in c. 37. C. 10. q. 7. fatetur. Praeterea quid in Hispania seculo VII. hac de re cautum fuerit, iam antea indicatum est. Verum haec non plenius prosequar, quae ex professo explicuit exornavitque FLORENS *cu. l. p. 36. sqq.* Sed ad ea progredior fundamenta, quibus circa haec tempora & sequentia factum, ut ius, quod vocatur *patronatus*, & plus, quam antea dicta iura fundatoribus tribuunt, continet, extructum fuerit, & inde etiam nomen antea dictum obtinuerit.

Tria momenta in hac occurrunt singularia.

§. XVII. Duo imprimis momenta circa haec tempora notanda sunt, quibus ex subsequentiis certum addendum, vnde tam insignis praerogativa patronis est concessa, & vera demum huius iuris *repraesentatio* petenda est. Primum est frequens admodum *oratoriorum domesticorum* extructio, nobilibus potentioribus, proceribusque Germaniae & Galliae *vstrata*, quae per haec & sequentia tempora adeo sibi vindicabant, & sui iuris esse censabant, ut vix a reliquo patrimonio distinguerent, & bona dotalia clericis a se constitutis *iure beneficii* seu feudi conferrent. Erant autem haec oratoria in usum *familiae* extructa, & sic quoque nobiles ruri in usum rusticorum, ad famulitium suam pertinentium, passim talia oratoria extruxerunt. Alterum momentum constituo in *ecclesiarum infudatione*; moris enim erat, ut ecclesiae & monasteria laicis in feudum darentur, & sicuti pederentim huius natura admodum crevit, ita tales *ecclesiae infudatae* patrimonio tandem laicorum adscriptae, ut sui iuris eas crederent. Vtrumque momentum, iam specialius illustrandum, ostendit, *ius patronatus*, quod inde efformatum est, proprietatem quandam in ecclesiam & bona inuoluere, id quod olim fundatoribus negatum fuit. Hac de causa quodque circa haec tempora demum hisce ecclesiarum possessori-

Inde patroni appellatio or-
gata.

foribus appellatio patronorum stylo peculiari & forensi tributa, & vniuersum ius iis competens, ius patronatus dictum est. Equidem huius vocis significatus anceps est, vnde quoque fuere, qui ideo fundatores hoc nomen accepisse, arbitrati sunt, quod patrocinium ecclesiis præstare teneantur. Ita vero omnes aduocati ecclesiarum, qui etiam quandoque a patrocinio patroni dicti sunt, ius patronatus habent, quod tamen nemo facile dixerit, cum ius aduocatiæ & patronatus differat. Hoc vel inde liquet, quod nonnunquam fundatores non ius patronatus, sed tantum aduocatiæ sibi reseruauerint, & ita prius penitus a se abdicauerint. Elegans occurrit charta in append. BALVZII ad Regimon. de discipl. eccl. p. 622. seqq. in qua fundatores ecclesie montis Buznini inter alia hanc clausulam dotationis literis inseruerunt: & ut ab omni dominatione temporali ac infestatione heredum omni tempore libera & quæta in domini seruitium valeat permanere, perfecta & plenissima voluntate iam capellam, quam & res ad ipsam adspicientes matri ecclesie S. Nazarii & rectori ipsius iradidimus, ita ut in omni ordinatione & dominatione faciat inde episcopus & ministri eius legibus ecclesiasticis, veluti de aliis rebus eidem matri ecclesie collatis. Ea videlicet conditione, ut dum nos vel vnus legalium heredum propinquior superstites apparuerimus, non tam iure dominationis & hereditatis (prout in iure patronatus moris erat) quam defensionis & protectionis in mundibus dum omni tempore vite nostrae habere valeamus. Tria hic imprimis notanda sunt: 1) quod fundator capellam a se fundatam cum omnibus bonis tradiderit ecclesie S. Nazarii & rectorum ipsius, ut in huius ecclesie patrimonium transfirent, id quod iuri patronatus aduersabatur: 2) quod tantum ius defensionis & protectionis, h. e. simplicis aduocatiæ sibi reseruauerit: 3) quod iuri dominationis & hereditatis renunciauerit, quod iuri patronatus inesse censebatur, ut ex seqq. liquebit, Vel

Distinctio inter patronos & aduocatos illustratur.

ex hac *oppositio*ne itaque manifestum redditur, plus iuris patronos obtinuisse, scilicet ius quoddam *dominationis & hereditatis*, cuius intuitu *patroni* h. e. *domini* dicebantur, cum ex infinitis diplomatibus constet, *dominationem* proprietatem denotare. Neque itaque fundator hoc casu tale ius amplius exercere poterat, postquam pleno iure capellam cum omnibus bonis ecclesiae S. Nazarii & rectoribus tradiderat.

Possessores ecclesiarum dicebantur patroni, quod earum quasi domini essent.

§. XVIII. Sed redeo ad appellationem *patronorum*. Videlicet in ea prorsus sum sententia, possessores harum ecclesiarum dictos fuisse *patronos*, quod essent earum *domini* vel *instar eorum*. *Patronum* enim frequentiori stylo per ea tempora *dominum* denotasse, quis negauerit? Ex *concilio Toletano* i. c. 10. supra §. 12. iam ostendi, *patronum* ibidem *dominum* denotare. In *l. vn. C. Theod. ne colon. in scio domino suum alien. colonis* interdicitur, ne arua sua alienent, *inconsultis atque ignorantibus patronis*, h. e. *dominis*. In *l. vn. C. de colon. Thrac.* colonorum *domini* itidem *patroni* vocantur. In *L. i. C. Theod. de salgam. hospit. non praeb.* itidem *patronorum* occurrit appellatio, eamque *dominis* ibi tribuendam esse censet IAC. GOTHOFREDVS in *Comment. in f.* In *LL. Longob. tit. 95. in f.* haec lex occurrit: *Non licet aldio cuiuscunque, qui amund (sui iuris) factus non est, sine voluntate patroni sui terram aut mancipia vendere, sed neque liberum dimittere.* In iure feudali *dominum feudi* ab antiquis interpretibus *patronum* vocari, obseruat B. HORN. in *iur. apr. feud. c. 5. §. 1.* MAYER in *Synt. iur. feud. c. 7. §. 2.* ROSENTHAL *de feud. c. 1. concl. 6. n. 8.* quod liquido constat ex GUNTHERI LIGVRINO *Lib. 8.*

Inter vasallos vnus forte patroni,

Quaestio de feudo quoties agitur eodem,

Quo feudi domino gaudeat, hoc iudice censent.

Vice versa quoque vasallus, passim cliens, vel clientulus,
& ne-

& nexus feudalis *clientelaris* vocatur, quamvis, quod obiter dixerim, naturam huius iuris non satis exprimat. Ceterum eo potissimum tempore haec appellatio audita est, quo patronorum potestas amplissima, & proprietati vere similis fuit, quod indicium praebet, non a *simplici patrocinio* eos ita fuisse nominatos, sed ex iure potentiori. Id paucis adhuc obseruo, FRANCISCUM de ROYECI. l. in proleg. p. 2. credidisse, seculo V. iam huius appellationis vestigium exstare. Adfert ex *annal. eccl. Francor. ad ann. 496. n. iii.* praeceptum CLODOVAEI de anno 480. quod fundatori monasterii cuiusdam concesserat, in quo haec verba occurrunt: *futuro bono ipsius monasterii, quod vel ab ipso patrono Ioanne, vel a nobis concessum est.* IOANNES fundator erat monasterii Reomaensis, qui in praecepto CLODOVAEI patronus vocatur, non alia de causa, quam quod *monasterii dominus* erat. Eo tempore fundatores laicos ecclesiarum nihil iuris in ecclesiis habuisse, supra obseruaui. Monasteriorum diuersa erat, quae in iure & proprietate fundatorum manebant, adeoque hi monasteriorum *domini & patroni* vocabantur, quo significatu CLODOVAEVS eo vocabulo utitur. Id vero inde non liquet, sensu *peculiari forensi & iuridico* eo tempore fundatores quoscunque *patronos* dictos fuisse, quin potius omnes *domini* hoc nomine adhuc eo tempore veniebant, quod omiserunt, postquam priuatiue *ecclesiarum possessoribus* tributum est.

§. XIX. Primum momentum constitui in capellam seu *oratoriorum domesticorum* exstrukione, quae potentiores in castris seu castellis & villis suis habebant, ceterum ex variis GREGORII M. testimoniis probatum dedit THOMASSIN. P. 1. de vet. & nou. eccl. discipl. lib. 2. c. 93. §. 7. sgg. Distinguebantur olim oratoria in villis ab aliis *ecclesiis parochialibus* seu *publicis*, quod in his legitimus & ordinarius conuentus esset, non in illis, sed tantum in quibusdam festiuitatibus, *ut ibi missas tenerent propter fatigationem*

Primum momentum peti-
tur ex orato-
riorum ex-
strukione.

nem familiae, vt patres in *Concil. Agathensi d. anno 506. c. 21.* loquuntur. Non tamen aliter missae ibidem celebrari poterant, nisi essent consecrata, vt docent capitularia, vid. *STEPH. BALVZ. tom. I. capitul. p. 650. 905. 1171. 1279.* Displacuisse episcopis hunc morem priuata sacra habendi, passim ex conciliis liquet, hinc de eo restringendo admodum solliciti fuerunt. Regum exempla sequebantur ut plurimum proceres, qua de causa in concilio *Parisi. VI. anno 829.* apud *HARDVINVM tom. IV. concil. p. 1357.* admonendum esse Imperatorem censuerunt patres ne tot *capellae palatinae*, exstruerentur, quoniam, aiunt, propter hoc & honos ecclesiasticus vilior efficitur, & vestri proceres & palatini ministri in diebus sollemnibus, sicut decet, vobiscum ad missarum solennia non procedunt. Annuit quidem desiderio Episcoporum *LVDVICVS pius lib. V. Capit. 324.* ap. *BALVZ. tom. I. capit. p. 896.* sed vix eum, quem sperauerant, euentum habuisse videtur eorum consilium. Vsum frequentissimum horum sacrorum domesticorum vna cum potestate & iure dominorum optime sed paulo acerbius depingit *AGOBARDVS* Lugdunensis Archiepiscopus in libro de priuil. & iure sacerdotum. §. 9. p. 114. ex edit. *BALVZII.* Praemittit varia testimonia ex sacris de dignitate sacerdotii, hisque sequentia subiicit: Haec pauca veteris & noui testamenti collegimus testimonia, in quibus quasi in speculo continere valeamus foeditatem nostri temporis omni lacrymarum fonte plorandum, quando increbuit consuetudo impia, vt pene nullus inueniatur anhelans, & quantumcumque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat sacerdotem, non cui obediat, sed a quo incessanter exigat licentiam simul atque illicitam obedientiam non solum in diuinis officiis, verum etiam in humanis; ita vt plerique inueniantur, qui aut ad mensas ministrant, aut sacra vina miscant, aut canes ducant, aut caballos, quibus foeminae sedent, regunt, aut agellos prouideant. Et quia tales, de quibus

In his domestica sacra habebantur.

Es domini ea sibi penitus vindicabant.

quibus haec dicimus, bonos sacerdotes in domibus habere suis non possunt (nam qui esset bonus clericus, qui cum talibus hominibus debonestari nomen & vitam suam ferret?) non curant omnino, quales clerici illi sint; quanta ignorantia caeci, quantis criminibus involuti, tantum, ut habeant, presbyteros proprios, quorum occasione deserant ecclesias & officia publica &c. Post pauca subiungit, cumque factum fuerit, (e. g. cumque clerici qualescunque domestici ordinati fuerint) putant ex hoc, quod maioris ordinis sacerdotes eis non sint necessarii, & derelinquunt frequenter publica officia & praedicamenta. Hinc sine dubio illae laerymae!

§. XX. Liquet vero ex hoc testimonio, clericos huiusmodi domesticos, qui a dominis seu patronis in vltima familiae constituebantur, & aiebantur, fere a nutu patroni sui & heri dependisse & proprios presbyteros appellatos fuisse, qua de causa episcopi ut plurimum recusabant eos ordinare, prout docet Concil. Paris. VI. lib. 1. c. 42. de anno 329. apud HARDVINUM tom. IV. concil. p. 1312. de clericis vero laicorum, unde nonnulli eorum conuerti videntur, eo, quod quidam episcopi ad eorum preces nolint in ecclesiis suis eos, cum viles sint, ordinare &c. Clerici huiusmodi notanter hic vocantur, 1) laicorum clerici, quod in eorum seruitio essent, iis obnoxii, & ita laici eorum domini & patroni: 2) quod laici in ecclesiis suis, quas in patrimonio suo habebant, hos constituerent, & tantum episcopo ordinandos offerrent. Conf. BALVZ. tom. I. capit. p. 895. In aliis quoque textibus similes adhibentur locutiones, unde liquet, eiusmodi ecclesias dominio nobilium quodammodo adscriptas fuisse. Apud BALVZ. tom. I. capit. p. 895. evidens occurrit testimonium; Si laici clericos probabilis vitae & doctrinae episcopis consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reuicentur. Apud EYNDEM tom. II. capit. p. 338. capitulare, quod etiam

Clerici tales dicebantur laicorum clerici, illi vero eorum patroni.

Ecclesiae tales propriae erant laicis.

etiam in *c. 37. C. 16. q. 7.* repetitur & ad *ann. 813.* pertinet, occurrit, contra eos directum, qui sine consensu episcopi presbyteros in ECCLESIIS SVIS constituunt, vel de ECCLESIIS SVIS eiiciunt. In concilio Romano sub EVGENIO II. *d. anno 826. c. 21.* apud HARDVINVM *tom. V. concil. p. 67.* & GRATIANVM in *c. 33. C. 16. q. 7.* monasteria & oratoria perspicue dominio fundatoris attribuuntur; monasterium vel oratorium canonicè exstructum à dominio constructoris inuito non auferatur, liceatque illi id presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius dioeceseos, & bonae auctoritatis dimissoria; cum consensu episcopi, ne malus existat, commendare. Commendare presbytero oratorium, nihil aliud denotat, quam in eo talem constituere, eique illud committere. Nouum proprietatis argumentum, patronis attributae, occurrit apud BALVZIVM in *capitul. tom. II. p. 339.* Statutum est, ut si quis liber homo per consensum episcopi ecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque ab episcopo in ea fuerint consecrati: ideo non perdat suam proprietatem, sed si episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam ecclesiam transferat, ipsa vero ecclesia, a qua transfertur, in constructoris maneat iure. Similiter in *capitul. reg. Franc. tit. 52.* apud EVNDEM *tom. II. p. 257. sqq.* agitur de ecclesiis imperatoris, imperatricis & comitum ac vasallorum imperialium. Porro apud EVNDEM *tom. II. capitul. p. 62.* occurrunt literae HINC MARI canonicæ de anno 877. vbi *cap. 6.* de his ecclesiis, quae in proprietate nobilitatis erant, haec dat praecepta: ecclesias quoque in proprietate liberorum hominum ac coheredum existentes; ut suae iradantur ecclesiae non debet cogere episcopus: sed secundum synodalia & imperialia capitula, quae regularia esse probat ecclesia satagat, quatenus dotis immunitates, sicut ceterae ecclesiae, auctoritate regis habeant, & ipsae ab eisdem liberis hominibus potiantur. Attentasse, quosdam episcopos, ut proceres suas ecclesias eis crederent traderent que

que, inde liquet, qui eo forsitan ducebantur principio, quod laici ecclesias in patrimonio & proprietate habere non possent, sed eae potius in iure & potestate sacerdotum constitui deberent. Id tantum vrget HINC MARVS, vt harum ecclesiarum dos immunitatem auctoritate regis acciperet, a quo haec vnice dependebat, non ex iure diuino, quod postea creditum est.

§. XXI. Fuisse autem circa haec tempora harum ecclesiarum vsum frequentissimum, non tantum ex his patet, sed etiam praeterea testimonio ODDONIS Abbatis Glan-
Frequens es-
lium ecclesia-
rum vsus.
 nafoliensis & Fostatensis, qui seculo IX. floruit. Composita est *historiam translationis S. Mauri*, relata a MABILLONIO in *act. Benedict. secul. IV. p. 2. p. 105. vbi c. 2. refert*, Reginonem comitem in domo sua, quae *Boscus* vocabatur, oratoriolum compendiose constructum, vt nobilioribus mos est, habuisse. Patres Ticinenses in concilio de anno 855. apud HARDVINVM tom. V. concil. p. 98. & BALVZIVM tom. II. capitul. p. 352. c. 3. id etiam fatentur, simulque conqueruntur, quod hac occasione ecclesiae maiores delebantur. Quidam vero laici, inquit, & maxime potentes ac nobiles, quos studiosius ad praedicationem venire oportebat, iuxta domos suas basilicas habent: in quibus diuinum audientes officium, ad maiores ecclesias variis venire consueverunt. Et dum soli afflicti & pauperes veniunt, quid aliud, quam vt mala patienter ferant, praedicandum illis est? Id ergo tunc potissimum nobilibus obiectum, quod in maioribus ecclesiis nunquam sacris interessent, & vnice suis incumbere ecclesiis, quod mutandum esse censuere. E contrario nobiles, commodius sibi fore ducentes, si ecclesias iuxta aedes suas haberent, magis magisque hunc morem continuarunt, & ad nostra tempora traduxerunt. Quis enim ignorat, rusticos olim *seruulis* Inde tot eccle-
siae nobilium conditionis vbique fuisse, & ad familiam nobilium seu do-
in pagis.
 minorum & liberorum, der Freyen, pertinuisse, ita vt *pagum* in pagis.
 ipsum

ipsum domini famulitium fuisse, recte dixeris. Qui ergo extruebant ecclesias iuxta domus suas, vel in pagis, eas suas esse, priuatas, in usum familiae aedificatas dicebant, ne, qui ex familia nobilium essent, cogentur per itinera plura cum magna fatigatione ecclesiis maioribus in ciuitatibus interesse, id quod patres Agathenses supra laudati permiserunt propter fatigationem familiae. Quamuis vero adhuc seculo IX. id patres agerent, vt ad minimum hi, qui tales ecclesias ruri iuxta domus suas haberent, quandoque sacris in maioribus ecclesia seu parochiis episcoporum, ad quos etiam pagi pertinebant, interessent, paulatim tamen ab hoc postulato recesserunt, permiseruntque nobilibus, vt in his ecclesiis sacra ordinaria fierent, & ita hae faciem parochiarum induerent, ex quo magis magisque plures ecclesiae rurales ortae, quae patronatae ex sua origine & indole merito in dubio censendae.

Appellatio patronorum seculo IX. deprebenditur.

§. XXII. Dicitur vero ostensumque haec tenentur est, has ecclesias nobilium patrimonio & proprietati per leges publicas adscriptas, & hoc intuitu patronatus, quod patronum seu dominum haberent, dictas fuisse. Rarius quidem haec appellatio in antiquis documentis occurrit, sed seculo IX. tamen vsus eius aliquis deprehenditur, qui postea in constantem abiit morem. Elegans locus occurrit apud HINC MARVM in capitulis in Synodo Remensi anno 874. editis, tom. I. oper. eius p. 737. relatis: nam c. vltima de hoc iure cautum. *Ipsi enim sciitis, quia nemo fidelis in parochia nostra, in sua ecclesia sine presbytero esse cupit, & sine ordinatione episcopali presbyterum ibi habere non potest. Quapropter quisque defuncto presbytero in sua ecclesia presbyterum peti, apud quem cum clericum bonum quaesero, vt illi presbyterum ordinem, ipse clericum bonum quaeret: & si eum bonum mihi adduxerit, ordinabo illum. Sin autem, alium requiram: & ipse tam diu clericum bonum quaeret, usque dum convenientem ordini sacro inue-*

inueniat. Et non necesse esset vobis petere ecclesias cum superfluo exento: quia quique fideles, si vestra culpa non esset, plus quaererent bonos clericos, quam vestros denarios. & hoc non sufferitis: sed vos & vestros nutritos in maledictionem mittitis, cum dato patronis praemio, vobis & illis peccatum emittis. Etiam in his verbis ecclesiae tribuuntur patronis: id tantum vero praecauendum duxit HINC-MARVS, ne mali clerici pecuniae interuentu in iis confiterentur.

§. XXIII. Quia vero hi presbyteri in seruitio patroni & Patroni nimis potestatem suam extendebant. domestici erant, inde hoc ipsum quaedam incommoda turbasque hinc inde mouebat, quibus in conciliis occurrendum videbatur. Primum erat, quod hi presbyteri a patronis subducerentur iurisdictioni episcopali, & suae potestati prorsus subiicerentur. Id in concilio Ticinensi anno 850. c. 18. apud HARDVINUM tom. V. concil. p. 29. notatum edictumque: nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina & providentia gubernantur. Tales enim acephalos, i. e. sine capite praesca ecclesiae consuetudo nuucupauit. Docendi igitur sunt seculares viri, ut si in domibus suis mysteria diuina iugiter exerceri debeant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab episcopis examinati fuerint, & ab ordinatoribus suis commendatiis literis comitati probantur, cum ad peregrina forte migrare est. Alterum erat, quod patroni presbyteros holce domesticos pro lubitu solerent dimittere & expellere, id quod rursus inde fluebat, quod patroni ministri & officiales esse crederentur, episcopo haud subiecti. Circa annum 873. in concil. Moguntino & Coloniensi id prohibitum, ceu liquet ex c. 37. & 38. C. 16. q. 7. quod etiam LEO IV. anno 848. repetiit in c. 29. eod. aiens: contra sanctorum patrum censuras videtur existere, si secularis vel laicus, presbyteros ab ecclesiis, in quibus tempore ordinationis eorum nominati vel introducti fuerint, videtur

expellere. Tertium erat, quod heredes patroni adeo tales ecclesias suo patrimonio adscriberent, ut etiam in diuisionem hereditatis eas referrent. Id notandum censuere patres in *concilio Cabilonensi c. 26.* anno 813. celebrato apud HARDVINUM tom. IV. concil. p. 1036. & relatum in c. 1. X. de iure patron. perlatum ad nos est, quod inter heredes ecclesiae in rebus propriis constitutae diuidantur, & tanta per eam diuisionem similtas oriatur, ut vnus altaris quatuor partes fiant, & singulae partes singulos habeant presbyteros: quod sine discordia & similtate nullo modo geri potest. Vnde nobis visum est, quod huiusmodi ecclesiae inter heredes diuidi non debeant, & si in contentionem venerint & similtates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, praecipiat ab episcopo ciuitatis, ut nullo modo ibi missarum solennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio illa sacerdotem canonicè habeat, qui libere ibi suum ministerium habere possit. Nondum eo tempore patronis erant praefinita certa tempora, intra quae episcopo clericum offerre deberent sub poena *deuolutionis*, quae in hunc finem postea introducta sunt, ut eo magis patroni in concordiam redirent. Liquet vero ex hoc textu, quem ex ipso fonte retuli, *patroni* appellationem in eo haud occurrere, quam tamen RAYMUNDVS DE PENNA FORTI in c. 1. X. de iure patron. ei inseruit, morem sui aevi inspiciens. Rarius enim seculo IX. adhuc audita est *patroni* appellatio, ut ut eodem HINC MARVS iam vltus deprehendatur.

Conclusiones
inde forman-
tar.

§. XXIV. Quod si, quae haectenus dicta sunt, penitiori examinantur iudicio, manifestum inde redditur, 1) ius, quod hodie *patronatus* vocatur, originem suam *specialem* habuisse ab exstructione ecclesiarum, quas nobiles vel in *uis curtibus* vel *iuxta aedes suas* in pagis pro commodo familiae suae amplissimae fundabant; 2) has ecclesias adscriptas fuisse proprietati fundatorum, & ita *ius patrona-*

patronatus nihil aliud denotasse, quam *ius quoddam proprietatis in ecclesiam fundatam*, quemadmodum adhuc anno 1172. apud AUBERTVM MIRAEVM *lib. 1. donat. Belgic. c. 70.* diploma occurrit, ubi ita; *quoniam autem ecclesia ista specialiter mea est &c.* 3) Inde *ius patronatus* fere primario & ordinario obtinuisse *in ecclesiis ruralibus*, in quibus adhuc hodie regulariter obtinet: 4) praeter praesentationem & constitutionem presbyterorum patronos varia sibi vindicasse iura, quae ex eo, quod ecclesia esset *sua*, petebant, & ex natura *proprietatis* suo modo flebant. Ex ista tamen quaedam iura 5) iis negata fuisse, quae *independentiam* horum presbyterorum contra rationem iuris ecclesiastici inducebant.

§. XXV. Progredior ad alterum momentum, unde *ius patronatus* natum est. Constitui id ipsum in more antiquitus, hoc tempore maxime, visitato, dandi ecclesias, monasteria, imo ipsos episcopatus laicis potentioribus in feudum, qui mos quidem seculo VI. iam inter reges Francorum irrepsisse videtur: at altiores radices postea egit, & adeo eradicari non potuit, ut potius possessores harum ecclesiarum & monasteriorum plus iuris sibi poterentim acquisiverint. Nolo exornare hanc observationem variis testimoniis, cum iam id ipsum abundanter praestitum sit in disert. sub Dn. PRAESIDE habita *de potest. civili in rempla c. 11. sect. 4. §. 3. seqq.* Id tantum ostendendum, quae ratione hi possessores quoque *patroni* dici poterint.

§. XXVI. Videlicet talis concessio ecclesiarum & monasteriorum non alium habebat finem, quam ut possessores eorum redditus inde perciperent, ut ex aliis beneficiis. Inde vero ut plurimum eveniebat, ut pleraque commoda sibi vindicarent, presbyteris vero tantum quosdam assignarent redditus, unde parcissime vivere possent. Quo circa sibi 1) attribuebant *ius presbyteros* hisce ecclesiis, quarum possessores erant beneficio regum, constituendi,

Alterum fundamentum iuris patronatus ex more antiquo dandi ecclesias laicis in feudum petitum.

In his ecclesiis possessores constituebant presbyteros.

di, quod eas ecclesias vt suas possiderent, & de iis, vt rebus propriis, disponerent. Obseruant id ipsum optime M. ANTONIVS DOMINICVS *de praerogat. allod. in provinc. Narbon. & Aquit. c. XI. §. ii. aiens: Inde milites his beneficiis honorati, instituendi presbyterum, in his ecclesiis, quarum bona possidebant, auctoritatem sibi arrogarunt, vt patet. ex Concil. Cabilon. ii. quo huic licentiae hoc additur temperamentum, vt nullus absque consensu Episcopi cuiuslibet presbytero ecclesiam det.* Concilium Cabilonense ii. habitum est anno 813, vbi *can. 42.* apud HARDVINVM tom. IV. p. 1039. ita cautum: *Inuenim est, quod multi arbitrii sui temeritate, & quod grauius est, ducti cupiditate presbyteris quibuslibet absque consensu episcoporum ecclesias dant vel auferunt.* Vnde oportet, vt canonica regula seruata, nullus absque consensu episcopi cuiuslibet presbytero ecclesiam det. Non de solis fundatoribus ecclesiarum patres loqui, euidentia docet: quin imo verba tam latissime concepta sunt, vt praeter eos alii quoque intelligi debeant, qui aliunde dabant ecclesiis presbyteros, neglecto episcoporum consensu. Ideo enim episcoporum consensum insuper habendum ducebant, quod ecclesiae tales a forte reliquarum essent distinctae, & episcoporum inspectioni subtraetae, eo, quod in laicorum potestatem beneficiorum regum peruenerint. Contra tales quoque direxit edictum dominicum CAROLVS M. anno 800. apud BALVZ. tom. I. capit. p. 329. sqb. in haec rescribens verba: *resonuit auribus nostris - - quod non ita obtemperatis pontificibus nostris seu sacerdotibus - - ita vt presbyteros, nescio qua temeritate praesentare episcopis denegatis, insuper & aliorum clericos usurpare non perimescatis, & absque consensu episcopi in vestris ecclesiis mittere audeatis. Nec non & in vestris ministeriis (clericis in vestro ministerio existentibus) pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem reuoluntudo ecclesiastica docet. Insuper nonas & decimas vel census im-* proba

proba cupiditate de ecclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nituntur, & precarias de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro capitulari (de anno 779. c. 13. apud EUNDĒM cit. l. p. 179.) institutum est, accipere negligitis, & ipsam sanctam Dei ecclesiam, (quam beneficio nostro possidetis) una cum ipsis episcopis & Abbatibus emendare iuxta vires vestras denegetis. Possessoribus enim hisce iniunctum erat onus reficiendi ecclesias: ut domus ecclesiarum & tegumenta ab eis fiant emendata vel restaurata, qui beneficia exinde habent. vid. BALVZ. tom. I. capit. p. 267. c. 24. p. 504. c. 24. p. 612. c. 5.

§. XXVII. Præterea in tantum proprietatem istarum ecclesiarum sibi afferebant, ut de iis liberius, quam par erat, harum ecclesiarum indisplicerent. Id observat PETRVS DE MARCA in not. ad concil. Claromont. c. 7. aiens: tunc non solum fundi & villae, sed etiam ecclesiae ipsae in beneficium illis concessae sunt. Ecclesiarum nomine oblationes, decimae atque redditus datae & concessa intelligebantur, ut patet ex veteribus actis. Tunc ecclesiae eo iure possessae sunt, quo cetera beneficia siue feuda, adeo ut tandem in heredes quoque transferri, & expositae sine hominum commercio. Perfringit hunc abusum iam suo tempore AGOBARDVS de dispens. rer. eccles. §. 15. Nunc non solum possessiones ecclesiasticae, sed ipsae etiam ecclesiae cum possessionibus venundantur. Nectantum temere alienabant, sed etiam inter se diuidebant ecclesias coheredes possessores, ut reliquam substantiam hereditariam. In concilio Aquisgranensi id notarunt patres anno 789. sub CAROLO M. obseruante BARONIO ad cit. ann. n. 6. vbi haec ex capitularibus refert: Tempore Hadriani papae & Caroli M. imperatoris, quando Paulinus episcopus tenuit vices apostolicae sedis, in Aquis pie factum istud capitulum, propter hoc, quia laici homines solebant diuidere episcopata & monasteria ad illorum opus, & non remansisse ulli episcopo, nec Abbati, nec Abbatissae, nisi tantum, ut velut canonici & monachi viverent. Hi vero eo tempore in summa vivebant

par-

parfimonia, sine pompa & deliciis, sine quibus tamen Ab-
bates & episcopi vivere recusabant. Ceterarum ecclesia-
rum par erat ratio, quarum reditus etiam diuidebant co-
heredes, vt parum presbytero superesset. Ipsum capitulum
quo haec diuisio penitus prohibita, refertur a BALY-
ZIO tom. I. capit. p. 717. c. 77. & p. 863. c. 208. & GRATIA-
NO in c. 69. C. 16. q. 1. quod tamen effectu caruisse videtur.
In tantum enim valuit possessorum horum contradictio,
vt ne quidem tempore LVDVICII hic mos cessauerit.
Testatur id ipsum capitulum LVDVICII 29. de anno 810. vbi
plura capitula, & inter haec quoque illud, *de ecclesiis,
quae inter coheredes diuiduntur, & tali occasione proprio
honore carent, emendatione digna in aliud tempus reuocant,
& ita morem pristinum in suo statu reliquit.* Longum
foret, si quaeuis, quae de hac laicorum possessione ec-
clesiarum, in antiquitatibus occurrunt, colligere vellem:
sed praesenti scopo vel haec pauca inseruire posse credo,
vt inde pateat, non sola *fundatione*. sed alio quoque
modo *ius patronatus* olim acquisitum fuisse. Nec creden-
dum est, post haec tempora morem hunc cessasse, qui *se-
culis X. & XI.* adhuc in vsu fuit, & vnde adhuc hodie *de-
cimae laicales* dependent.

Tales ecclesias
iure feudi
conferbant
presbyteris,
potiori parte
redituum sibi
reseruata.

§. XXVIII. Ceterum *ius quoddam proprietatis* vel
ad minimum *directi domini* in has ecclesias possessores earum
affectasse, imo obtinuisse, alia adhuc ostendunt argu-
menta. Partem quandam quasi *iure suo* ex reditibus ec-
clesiasticis sibi vindicabant, vt vix *tertia* sacerdoti super-
esset, ceu docent testimonia collecta a THOMASSINO P.
II. de discipl. eccl. lib. 3. c. 21. §. 6. Ipsam ecclesiam cum hac
tertia vel alibi forsitan cum maiori quantitate instar *feudi*
conferbant presbyteris, & vt *domini directi* reputari vo-
lebant. Alibi id quidem seuerè laicis interdictum; alibi
toleratam, ita vt ad minimum vsus huius iuris, licet non
vbique sine contradictione, per multa secula permanserit.

1a

In concilio Bituricensi de anno 1031. c. 21. apud HARDVINUM
 tom. VI. p. 1. p. 351. paucis vniuersum ius horum possesso-
 rum his enucleatur verbis: *vt seculares viri ecclesiastica be-
 neficia, quod feuos (alii legunt feudos) presbyterales vocans,
 non habeant super presbyteros.* Duo ex hoc textu obser-
 uo: 1) laicos harum ecclesiarum possessores *ius feudi & do-
 minii directi* sibi attribuisse intuitu *presbyterorum*, quos
 constituiebant, & hoc ipsum *feudum presbyterale* seu *fe-
 num* dixisse: 2) hoc ipso factum fuisse, vt potestatem quan-
 dam in ipsos presbyteros, vt suos *vasallos & ministeriales*
 acceperint & exercuerint, id quod indicare patres huius
 concilii videntur, verbis: *super presbyteros.* Indigne id
 tulerunt: prohibendum hoc censuerunt Bituricenses; sed
 mos vetustus non tam facile corrigi & emendari poterat,
 quod sequentium temporum praxis ostendit. Ipsi impe-
 ratores, aliique reges eodem iure utebantur in episcopa-
 tus & Abbantias regales, quas mediante *inuestitura*, vt *do-
 minii directi*, concedebant, & plures eius effectus exerce-
 bant, pontificum faenitia postea sublata. Nec improbabile
 est, in plurimis locis pontificum episcoporumque mur-
 murationes vicisse, & laicorum manibus vel penitus hoc
 ius extorsisse, vel ad minimum admodum minuisse.

§. XXIX. Si ergo secundum hanc periodum, qua ius *Ex more illius*
patronatus adhuc maiores vires & *liberitatem plenior* ha-
 buit, definitio eius formanda, me non a veritate aberra-
 turum esse credo, si asseruerim, *ius patronatus* constitit-
 se in iure quodam *dominii*, possessori ecclesiae, *rum in eam*
in bona eiusdem competens, vi cuius ille presbyterum ab
 Episcopo approbatum & *ordinatum ei praeficere*, eundem de
 dote eius *inuestire*, & ea praetendere potuit, quae vel sibi
expresse reservauit, vel alias ex natura *dominii*, prou
natura rerum ecclesiasticarum id permittit, fluunt. Definitio *& sigillatim*
 huius veritatem probant antecedentia, quae paucis re-
 petam. Dixi, 1) *ius patronatus* tribuere possessori *ius quod-*
 dam

dam domini & proprietatis. Id docent tum ipsa *patronorum* appellatio, supra §. 17. & 18. declarata; tum diplomata & leges antiquae §. 19. *sqq.* adductae, quae laicis tales ecclesias in usum familiae exstructas vel in castris vel in villis iuxta aedes proprias, attribuunt, ita, ut in proprietate & iure possessoris essent, prout disertis verbis loquuntur leges §. 20. adductae. Idem *ius proprietatis* sibi possessores ecclesiarum, quas *beneficio regum* tenebant, vindicasse, euictum est §. 25. *sqq.* quamvis episcopi per aliquot secula id vnice egerint, ut has ecclesias illis extorquerent, easque in pristinam restituerint libertatem. Notanter autem dixi, *ius quoddam domini*, ut ostenderem, *proprieta-tem plenam & absolutam*, quae in se continet ius de disponendi pro lubitu, eamque immutandi imo & consumendi, possessoribus haud competiisse, id quod sui sacro, in quem tales exstructae erant ecclesiae, repugnabat, & *dominii* rationem admodum restringebat. Neque tamen *dominium* prorsus suam essentiam & naturam amittit, si ei hi effectus subducuntur: plura in iure occurrunt alia obstacula, quae *dominii* plenum effectum impediunt, restringunt, limitant, maxime in rebus, quae ad *usum perpetuum* destinatae sunt. Fideicommissa familiae sunt in possessorum dominio, vtut nec ab his alienari, mutari, consumi & corrumpi possint. Sepulchra familiae & hereditaria itidem ad *dominium & patrimonium* eorum, qui sunt de familia vel inter heredes, pertinent, vtut possessoribus integrum non sit, de iis *pro lubitu* disponere. Denique & serui sunt in *dominio & proprietate dominorum*, vtut non omnes effectus eius in illos, qua *homines*, exerceri potuerint. Ipsa enim *natura rei*, quae propria est, effectum proprietatis variis modis restringit. Addidi 2) hoc *dominium* competere possessori tum in *ecclesiam* tum *bona eiusdem.* Id demonstrant leges §. 19. & 20. adductae & praedicata ibidem occurrentia. Quod *meum* vel *tuum* dici-

dicitur, id ad *proprietatem* & patrimonium meum pertinere recessit. Declarant quoque id ipsum fundamenta adducta; nam erant tales ecclesie in usum familiae olim constructae in propriis castris vel iuxta aedes; inde necessitas incumbere patrono vel domino eas reficiendi, & cetera onera ferendi, quae ex fine & destinatione desiderabantur. Quas vero ex *beneficio regum* laici tenebant, maiori cum fructu possidebant, ut etiam partem ex redditibus ecclesiasticis perciperent, itidem tamen cum onere reficiendi. Dominium in *dorem ecclesiae* potissimum in eo sese exerebat, quod patronus eam in beneficium seu feudum presbytero daret, vel illum de ea inuestiret, ut *dominus directus*. Unde etiam *Kirchen-Lehn* vocari coepit. Inde inspectio in bona ecclesiastica, & providentia, ut salua & pristino statu manerent, fluebant. Quandoque etiam census ex iis percipiebant, qui in fundatione iis impositus erat consensu episcopi, ut docent *c. 17. & 20. X. de censib. exact. & procur.* quotsum etiam laudemia pro inuestitura solui solita pertinent. Et sine dubio effectus *dominii*, posse de rebus inuestire eum, in quem transferuntur, cum regulariter tantum inuestiat iuxta leges illorum temporum, qui *dominus rerum est*. Ex eo dominio fluebat ius ecclesiae praeficiendi clericum, ut tamen episcopus eum approbaret ordinaretque, ne pessimi nebulones ad sacra munia facile admitterentur. Haec praefectura id operabatur, ut tales presbyteri dicerentur *clerici laicorum*, ut §. 10. obseruauit; dominus vero eorum *patronus*, quo titulo iuxta tenorem *concilii Toletani l. c. 10.* gaudebant *domini*, qui alios in suo seruitio habebant. Inde eum, ut *patronum* laicum comiter obseruare, omnem ei reuerentiam exhibere, pro eo & eius familia preces fundere, seu nomen eius in missa recitare, in processionibus eum honorare, pro defunctio missam celebrare, aliaque signa honorifica exhibere debuerunt. Denique dixi 5) quod ea praetendere vi huius do-

minii possit, quae vel referuata sunt, vel alias ex natura eius fluunt. Census, laudemia aliaque referuata saepius fuisse, iam dixi; quin & *decimas* & partem de *oblationibus* saepe sibi attribuebant, maxime in ecclesiis, in feudum accedentis. Denique probabile est, nobiles decimas plures inde acquisuisse, quod ad suas ecclesias pertinerent, & sic in sua dispositione essent. Sicuti vero hoc dominium limitatum, & ex fine sacro aestimandum erat, ita quaedam patronis interdicebantur, quae huic fini aduersabantur, quorum pertinebat *diuisio ecclesiarum* & quae §. 23. dicta sunt.

Tertium iuris patronatus fundamentum, quod clericis illud perit.

§. XXX. Superest vero, ut de tertio *iuris patronatus* introducti fundamento paucis agam. Quae haecenus allata sunt, vnice ad *laicos patronos* fere spectant, praesertim cum de his concilia & capitularia fere vnice loquantur, quod indicium praebet, *patronos clericos* eo tempore fuisse rariores, non diffidente THOMASSINO P. II. d. discipl. eccl. lib. 1. c. 31. §. 2. in f. Deerant enim illo tempore adhuc illi abusus grauiores, qui postea adulterarunt, & infecerunt ecclesiam. Videlicet vulgo ius patronatus diuiditur in *laicum* & *ecclesiasticum*. Illud quale sit dictum; hoc vero di-

Ius patronatus ecclesiasticum definitur.

citur, quod alicui clerico competit ratione illius ecclesiae, cui praeficitur, & ita cohaeret *beneficio ecclesiastico* eiusque possessori proprium est. FRANC. de ROYE de iure patron. in proleg. c. 6. Equidem illud exturgere & acquiri ecclesiae dicunt, si ex eius redbitus capella vel ecclesia exstructa est, c. 3. X. de eccles. aedif. vel patronus laicus illud monasterio cesserit; c. 8. X. de iure patron. sed hae causae non sufficiunt. Dantur hodie infinita monasteria, praebendaeque, quibus hoc ius quoad plures saepe ecclesias cohaeret, in quibus tamen neutrum fundamentum deprehenditur. Ast postquam perpetuae *commendae* & *vniones*

Hoc ipsum 3) ex commendis clericis acquiruntur.

inualuere, numerus *patronorum ecclesiasticorum* magno opere auctus est, quod interpretes vix tangere solent. De factis *commendarum* plenius agit THOMASSIN. cit. l. lib. 3. c. 10. §. 9. quae hic

hic excutere non vacat. Sæpe accidebat, ut, quod deesset proprius rector ecclesiae vel monasterii, interim cura eius ad tempus commendaretur alicui clerico, qui *fiduciam* interim eius *curam* habebat, donec eidem de proprio pastore prouitum esset. Ad palliandam beneficiorum pluralitatem tandem receptum est, ut vni plures *in perpetuum* commendarentur ecclesiae parochiales, & ita fiebat, ut in successorem quoque hae commendatae ecclesiae transirent, & beneficio principali semper annexae & agglutinatae essent. Hoc modo praelati aliique clerici maiores, imo & monasteria plura possidere coeperunt beneficia: vnum quidem principale, quod *titulum* vocant; reliqua vero *iure* quasi *fiduciariorum*, sub *commendae*, vel *custodiae*, vel *guardiae*, vel *administrationis* nomine, ut ait CLEMENS V. *in c. 2. extra. comm. d. praeb.* Cum vero omnibus ecclesiis hisce vnus non posset esse praefectus praelatus, qui tamen iis praeesse dicebatur, ea ratio introducta est, ut clerici, commendas ratione *beneficiorum* sui habentes, in *titulis* quidem suis ex *lege ecclesiastica* residerent, *commendatas* autem ecclesias, maxime parochiales, quae proprium parochum desiderabant, vicariis pastoribus committerent, partem de tunica potiore sibi reseruantes, *vicario* vero ad sustentationem suam certam portionem assignantes. Cum itaque hos *vicarios* constituerent, suas quasi vices subeuntes, *ius patronatus* per indirectum eo modo sibi acquisuerunt. Sicuti enim tales *commendae*, ut vocantur, perpetuo beneficiis adhaesere, ita *vicarios* *perpetuos* constituere necesse habebant, qui veri erant ecclesiae pastores, *nominis solum* tantum a reliquis discrepantes. vid. DN. PRAES. *iur. eccl. tit. de praeb. §. 140.*

§. XXXI. Verum per *uniones ecclesiarum* adhuc²⁾ ex *unionibus & incorporationibus* magis creuit *iuris patronatus ecclesiastici* numerus. Sunt *uniones ecclesiasticae* nihil aliud, quam duorum plurium *beneficiorum* vel *ecclesiarum* connexio ad hunc effectum

stum, ut pro vno postea habeantur, quae antea erant distincta & separata. Negari quidem nequit, ex iusta & probabili causa nonnunquam unionem ecclesiarum, maxime per *suppressionem* fieri posse, ut illa parochia, quae proprium alere parochum nequit, uniatur alteri, & cum ea vnum corpus constituat, de qua materia ex professo agunt TVRRICELLIUS & DN. SLEVOGTIVS. Verum non negandum est, uniones admodum olim in abusum fuisse tractas, ut magis in clericorum, quam christiani populi utilitatem tenderent. Huc potissimum pertinet, antiquitus admodum usitata methodus uniendo ecclesias, quae proprium pastorem habere possunt, eumque etiam post unionem retinent, per *subiectionem*, quando ita plures ecclesiae monasterio, praebendae, vel simili beneficio agglutinantur, ut perpetuo ei per modum *subiectionis* cohaereant, & per *vicarium perpetuum* vices eius, qui *ecclesiae principali* praest, peragantur, c. 30. X. de praeb. & dignit. TVRRICELL. de union. benef. c. IV. Haec primario huc pertinet, quippe quae monasteriis, aliisue *ius patronatus* per indirectum acquisiuit, ut specialius explicandum est.

His potestas data est, ecclesiae principali, consuetuendi in ecclesiis unitis vicarios perpetuos.

§. XXXII. Excogitata haec cautela est, ad redditus monasteriorum & praelaturarum augendos. Docent antiqua diplomata, exempla, & monumenta, praelatos, & qui maiorem in clero habebant auctoritatem, quales erant clerici cathedrales, & collegiatarum ecclesiarum, inhaesit ecclesiis parochialibus, idque vnice egisse, quo pinguisimos eorum redditus pro parte suos facerent, suisque beneficiis incorporarent. Pium, bonum, & honestum id duxere maiores, qui monachis quaedam indulgenda, nec canonicis aliquid facile denegandum, duxerant; maxime tali ratione excogitata, qua vntarum ecclesiarum status *apparenter*, & non ex *rei veritate* mutabatur, & eo facilius tolerari potuisse videbatur. Quamuis enim vnitate eccle-

ecclesiae partem dicebantur facere eius beneficii, cui iunctae sunt, ut ait TVRRICELL. *cit. l. n. 4.* expeditum tamen erat, possessorem beneficii principalis unitis ecclesiis praesse haud posse, sed ei indulgendum, ut vices suas alii demandaret. Inde tales ecclesias, non *rectorem*, h. *qui in rei ve-*
 e. principalem quasi beneficii possessorem, sed *vicarium*, *ritate perpe-*
*administratorem*ue habere dicuntur *PACIONI alleg. canon. tui possore-*
 20. n. 1. quo ipso tamen tantum in nomine ludunt, quia *sunt.*
 talis vicarius in parochialibus ecclesiis est *perpetuus* eius
pastor, nec sine praegnanate causa remoueri, ad exemplum
 aliorum, potest. Neque enim, qui tales uniones quae-
 fuerunt, id intenderunt, ut simul in ecclesiis unitis cu-
 ram pastorem exerceant, & sacra ibidem administra-
 rent, sed potius ut earum bonorum possessores fierent, re-
 ditus potiores perciperent, & partem quandam, instar
annuae mercedis, vicariis assignarent.

§. XXXIII. Haec unionis species necessario posses- *Et inde ius*
 sibus beneficii principalis, quos *rectores* vocare solent, *patronatus*
 peperit ius patronatus. Constituunt enim in beneficiis uni- *ortum.*
 tis *vicarios*, qui vice sua sacra ibidem peragant, ad instar
 mandatiorum, & conductiorum clericorum, qui a
 nullo alio ecclesiae unitae praefici possunt, nisi a princi-
 pali rectore, sicuti mandatarius a mandante constituitur.
 Cum vero in perpetuum ecclesiis parochialibus praefician-
 tur, re vera earum sunt patroni, inspecta rei veritate, &
praesentatio ipsi beneficio cohaerere dicitur, cum posses-
 sor eius, quae talis, hoc ius exerceat. Proinde non dubi-
 um est, per hanc speciem patronum laicum, qui ante u-
 nionem hanc ius patronatus in illam ecclesiam habebat,
 ius suum amittere, cum in posterum id exerceri debeat
 a rectore principali. Merito ergo iis afferendum, qui cen-
 sent, patronum ante omnia in hanc unionis speciem con-
 sentire debere, cum de eius summo agatur praedictio, eique
 amissio iuris patronatus imminet. vid. PAVL. S. QVILLA N-

TE de oblig. & priuil. episcop. P. III. c. 14. n. 16. SLEVOGT de unione eccl. diss. II. c. I. §. 5. ROCCA in disput. iur. select. c. 193. n. 15.

3) ex donatio-
nibus ecclesia-
rum patrona-
sarum,

§. XXXIV. Ostendunt vero praeterea antiquitates ecclesiasticae, conditores vel fautores monasteriorum id facius egisse, ut ecclesias suas, in quibus ius patronatus habebant, iisdem donarent, quo facto talis quidem unio, de qua dictum est, haud facta, interim tamen per donationem ecclesiae ipsum ius patronatus monasteriis acquirunt, saluo ecclesiarum statu. Sic CONRADVS Comes de Dellenberg anno 1253. ecclesiam suam in villa Mackenrod donauit Abbatiae Walkenridensi per chartam huius tenoris: *Conradus & c. quoniam Deum & eos, qui suo sancto seruitio sunt mancipati, pro posse nostro decreuimus subleuare, ecclesiam in villa Mackenrod, quae ad nostram pertinebat dominationem (proprietatem) conferimus dilecto nobis conuentui in Walckenrede praesentium tenore cum omni iure, quocunque nomine vocetur, quo nobis eadem ecclesia pertinebat, vid. LEVCKFELD in antiquit. Walckenrid. P. I. c. XI. §. 7. lit. g.* Similis tenoris occurrit formula in charta d. anno 1339. BURCHARDI Comitis de Mansfeld relata in reliq. Mss. n. Dn. ALVDEWIG tom. I. n. 244. ibi: *proprietatem parochialis ecclesiae B. Stephani sitae in villa Gaterstede dedimus & in contextu donamus S. conuentali ecclesiae &c.* Apud Dn. LEVCKFELD cit. l. §. 9. alia donationis charta occurrit d. ann. 1253. qua ecclesia in villa Nore sita eidem monasterio acquisita hac formula notabili: *qui proprietatem ipsius ecclesiae praefatae Walckenridensi ecclesiae per literas suas sigillo suo firmatas donauit.* Occurrunt vero quaedam peculiare circumstantiae circa hanc donationem, quae cum conceptum ius patronatus optime illustrent, paucis referre placet. Videlicet ex diplomatibus a Dn. LEVCKFELDIO cit. l. adductis liquet, in ecclesiam praedictam ius patronatus habuisse Dudonem dictum de Schneen

Ius patronatus in feudum & subfeudum datum.

Schneen & Theodoricum de Welrode milites, & quidem, ut dicitur, in diplomate *iure feudi* ab HENRICO & FRIDERICO Comitibus de Stolberg: Comites vero ab HENRICO Misnensi Marchione & Landgrauio Thuringiae eodem *feudi iure*. Ut ergo praedicti milites ecclesiam in praedictum monasterium conferre possent, ius patronatus in manus Comitum de Stolberg, hi vero rursus idem in manus Henrici resignarunt, qui tandem proprietatem eius ecclesiae in coenobium praedictum contulisse dicitur. Hac quidem via incedendum & agendum erat, ut dominorum directorum ius quoque extingueretur, & plena proprietas in monasterium conferretur. Docet vero hoc exemplum, ecclesias patronatus in feudum, imo subfeudum datas fuisse, quod potissimum iis integrum erat, qui proprietatem eorum ex *fundatione* habebant, & sic quoque *iure feudi* de iis disponere poterant. Aliud diploma de ann. 1272. apud EVNDEM *cit. l. §. 16. lit. p.* occurrit, ubi speciatim iuris patronatus facta mentio: *donamus vobis parochiam in villa Brocksbouen cum omnibus pertinentibus ad eandem. Similiter ius patronatus cum pleno iure: ita, quod de his omnibus ordinare potestis & libere disponere, quod ad vestram potest vilitatem & commodum prouenire, domino adiuuante.* IDEM *cit. l. c. 12. §. 7. lit. d.* chartam de anno 1253. recentet, in qua comes de Gleichen ecclesiam, S. Petri in Nuenberg, quam Henricus Girbach in feudo ab eo tenuerat, coenobio praedicto donauit *com omni iure*, ut dicitur, *quo pertinebat ad nos & potuit pertinere, tam cum iure patronatus, quam bonis omnibus mobilibus & immobilibus.* Addo ex reliq. *Mss. ill. Dn. a LVDEWIG tom. 1. n. 11. & 12.* chartam de anno 1203. quae ex latino in germanicam linguam eo tempore versa est: Und habe en mit sien Willen und ledeiglich gibein das Recht des Birsch-Leens zu Wardenbrücke das zu unser Hand bis her
 F
 gee

gehört hat, und wollen, daß dasselbe wo sie zum Dobirlus
ge daß siergeschrieben Kirchlen zu Wardenbrücke haben und be-
sigen sulle zu ewigen Ziten mit allen Rechte als wir und un-
sere Eldern daß gehabt haben und besezzin.

Plus iuris
contulit mo-
nasteriis unio
ecclesiarum,
quam simplex
earum dona-
tio.

§. XXXV. Quamuis vero per *simplicem donationem*
ecclesiarum, a patronis factarum, ius patronatus mona-
steriis fuerit acquisitum, multum tamen interfuit, vtrum
ecclesiae parochiales patronatae simpliciter monasteriis
donatae, an eisdem incorporatae per *unionem*. Prius et-
iam sine episcoporum consensu olim fieri potuit, c. 8. *XI.*
de iure patron. c. vn. eod. in 6. cum ius *patrono* competens
tantum hoc modo in monasterium collatum, saluo per
omnia statu ecclesiae parochialis, nec quidquam contra
leges ecclesiasticas factum: in *unione* vero *subiectiua* quan-
dam capituli diminutionem passa videatur ecclesia, & bo-
na eiusdem ecclesiae monasterio applicata, quod non
poterat fieri sine *episcopi* auctoritate. Vnde non raro con-
tingebat, vt ecclesiae *ab initio* monasteriis simpliciter dona-
tae, quo ipso *ius patronatus* obtinuerant; deinceps vero
cum monasteriis dicto modo vnitae fuerint, quo ipso qui-
dem quoad *ius patronatus* nihil adeo in *rei veritate* mu-
tatum, bene tamen quoad bona. Elegans adfert exem-
plum praelaudatus LEVCKFELD in *antiq. Walckenried. P.*
n. c. XI. §. 15. li. n. de ecclesia Schouwenst, quam *iure pa-*
tronatus possederant Comites Wernigerodenses, a qui-
bus eandem in feudum acceperant nobiles de Cotzen. Hi
eandem ecclesiam postea anno 1204. resignauerant in ma-
nus Comitum praedictorum, hac tamen conditione, vt
eandem pleno iure ad coenobium Walckenridense trans-
ferretur, quod etiam a Comitibus factum est. Hac do-
natione idem ius, quod Comites in illam ecclesiam ha-
buerant, naechi sunt, i. e. *ius patronatus*. Hoc vero mi-
nime contenti erant monachi, sed *unionem* praeterea de-
sidera-

siderabant, quam anno 1261. impetrarunt ab Episcopo Halberstadiensi, quae his verbis iis indulta: *autoritate praesentium indulgemus communi voluntate omnium & consensu accedente, ut ecclesiam parochialem in Monnichescho-we Halberstadiensis dioecesis, cuius patronatus vobis pertinet (ex praedicta donatione de anno 1204.) pleno iure valeatis in perpetuum obtinere, episcopi & archidiaconi per omnia iure salvo. Sed instituatis sacerdotem vicarium perpetuum & idoneum in eandem, cui de cervis redditibus ipsius ecclesiae congruam assignabitis portionem, residuum in proprios usus conuersuri. Aliud exemplum occurrit in reliq. Mss. ill. Dn. a LVDEWIG tom. 1. n. 248. vbi in ipso priuilegio de anno 1350. praemittitur, quod monasterium S. Mariae Virginis in Eytwordeslorp ordinis S. Benedicti ius patronatus parochialis ecclesiae S. Wenceslai in Barnstede banni orientalis legitime possideret. Acquisiuerat monasterium hoc ius titulo donationis eodem anno a Geuehardo de Querfurt, vti charta cit. l. n. 147. ostendit hisce verbis: *ius patronatus parochialis ecclesiae beati Wenzeslai sitae in villa Barnstede dedimus & donamus S. monasterio in Eytmarstorp cum omni iure, quod ad nos hactenus videbatur pertinere, possidendum. Secuta est mox huius ecclesiae incorporatio auctoritate Episcopi Halberstadiensis in priuilegio adducto his verbis: Nos ad indigentiam personarum illarum, quae in iam dicto monasterio Deo famulantur, pium respectum, eandem ecclesiam parochialem cum bonis eidem adiuentibus ad usus fratrum ipsi incorporando contulimus & conferimus per praesentes. Ratum habentes ordinationem omnem, quam ipsi fratres vna cum abbate eis ad commune vtilitatem duxerint ordinandam. Verum ne per hanc collationem siue incorporationem per nos factam, & per Abbatem Nicolaum approbatam Archidiaconi ius laedatur, statuimus & praecipimus obseruari, ut cuique fratrum Abbas**

duxerit, parochiam committendam, ab Archidiacono recipias curam animarum & singulis annis de ipsa dimidius loto synodalis solvatur. --- Sin vero persona in praedicta ecclesia parochiali constituta inutilis existeret, per Abbatem & conventum communiter primo, secundo & tertio, si noluerit emendari, remoueat. Idem de ipsius successoribus praecipimus, firmiter in perpetuum obseruari. Ius remouendi monasterio vel ideo indultum videtur, quod non pastorem principalem sed vicarium in parochia constituerit, qui ex natura rei reuocari posset, quale ius tamen patronis denegarunt patres. Aliud vnionis eodem modo factae exemplum occurrit cit. l. n. 28. l. 9. de ecclesia parochiali in Kirchbaim, cuius collatio, & praesentatio in idem ad monasterium Doberlucense pleno iure pertinebat, quam tamen postea NICOLAUS Episcopus Misnensis de consensu sui capituli anno 1380. dicto monasterio vniois, annexit & incorporauit, approbatione Cardinalis PILLEI accedente, & VRBANI pontificis confirmatione. Hisce ergo modis ius patronatus ecclesiasticam constitutum est, scilicet partim ex commendis, partim vnione, partim vero ex simplici donatione ecclesiarum c. 7. X. de donat. rarius forsan ex fundatione, nisi forsan intuitu capellarum, quae ex redditibus monasteriorum exstructae sunt, quae tamen vtplurimum ipsi monachis quoad sacra sunt commissae, vt iuris patronatus ratio ita cessauerit.

Tertia periodus, in qua quaedam in iure patronatus innovata sunt.

§. XXXVI. Tandem ad tertiam periodum progredior, quae iuris patronatus notam quodammodo formam dare attentauit, & sic patronorum iura in quibusdam imminuit, vel in ambiguum discrimen admodum deduxit. Id videlicet in antecedentibus ostensum est, patronos fuisse dominos ecclesiarum suarum, quas in proprietate sua habebant, & in eis sacerdotem constituisse, praecedente ordinatione & approbatione Episcopi. Post seculum XII. circiter

citer hinc inde ex sententia *pontificum Romanorum*, quorum auctoritas iam satis amplissima erat, iuris patronatus conceptus in nonnullis in sensum plane diuersum detortus deprehenditur, quod vel ex *collectione decretalium* liquet. Id vero potissimum vel ea de causa factum videtur, *Ratio huius* quod *ecclesiae laicorum*, quas olim opponebant *parochia-* *libus & iis*, in quibus ordinarii conuentus statim tempore fierent, *inuouationis.* pedetentim *parochialium* qualitatem induerint, & ex earum iure aestimari coeperint. Ea tantum differentia obseruata, quod quaedam essent *liberae*, quae simpliciter ad *collationem episcopi* spectabant: quaedam non *liberae*, quae in iure patronorum erant, vt interpretes ex mente pontificis distinguere solent. Proinde *ius patronatus* feruuti aequiparant, quamuis id non sine ratione reprobet FRANCISCUS DE ROYE *d. iur. patron. in proleg. c. 5.*

§. XXXVIII. Scilicet episcopis admodum intolerabile visum fuit, patronis *ius proprietatis & domini* in ecclesiis earumque bona tribuere, quas in *suo iure & potestate* vnice esse censuere. Ecclesiae ad *res spirituales* relatae, quarum incapaces censebantur laici. Interim cum *ius patronatus* prorsus eliminari non potuit, ita id temperandum esse censuere, vt *nihil proprietatis* patronis superesset, sed hi potius cogitarent, se ex *gratia* ius hoc exercere, cum stricto iure ne quidem iuris huius capaces dici possent, & haecenus duntaxat ecclesia eos in tali potestate *ex gratia* iustineret. vid. FAGNAN. *ad c. 3. X. de iur. patron. n. 5. §qq.*

§. XXXVIII. Proinde 1) censuere hoc ius stricto iure ne quidem de bonis laicorum esse, vt censet FAGNAN. *Statuere dicitur* *patronatus* *patronatus* *extra com-* *mercium esse* *et per se ven-* *di non posse.* *ad c. 7. X. n. 43.* Sunt ecclesiae & bona ecclesiastica *potius iuris diuini*, in dominio Dei ex sententia Romanae ecclesiae, adeoque extra commercium priuatorum, quam Philolophiam auide amplexi sunt proceres ecclesiae Romanae.

manae. Proinde ius patronatus seorsim vendi non potest, quod sit ius spirituali annexum, & sic simonia sit metuenda. *c. 16. X. d. iur. patron.* Id tantum concessum, ut vendita vel alienata vniuersitate, v. c. pago, castro &c. cui hoc ius cohaeret, simul quoque ius patronatus transferatur per consequentiam; *c. 7. X. eod.* quamuis ne quidem pretium hoc casu in id constitui possit, cum sit extra commercium. *ESPEN P. II. iur. eccles. lib. 25. c. 4. §. 32.* Praeterea licet admitterent, patronos loco religioso ius patronatus conferendi liberam habere facultatem, ut ait *ALEXANDER III.* in *c. 8. X. de iur. patron.* non accedente consensu episcopi, quod laici non possint in alios nisi ius, quod habent, transferre; *c. 11. X. eod.* minime tamen concedere voluere, ut, inconsultis episcopis, ecclesias ipsas donare possent, in quo actu plus agi credebant, quam in simplici iuris patronatus translatione. *c. 5. §. 8. & 11. X. d. iur. patron.* Ex supra dictis enim liquet, fuisse possessores ecclesiarum, qui beneficio regum ecclesias tenebant, ex iisque reditus percipiebant cum iure patronatus. Hos, tanquam iniustos ecclesiarum vsurpatores, distinguebant a patronis fundatoribus, quibus proprietatem nullam ecclesiarum attribuendam esse censebant, quam possessores ecclesiarum ex beneficio regum strenue adhuc sibi asserabant. Interim patronos fundatores simile ius ex ipsa fundatione habuisse, illudque iis in legibus ipsis assertum fuisse, supra ostendi; praeterea quoque obseruaui, in ipsis donationum chartis formulas, donare ecclesiam, & donare ius patronatus, nunquam distingui, quae *ALEXANDER III.* vel ideo distinguenda esse censuit, ne priorem admittendo patronis aliquid proprietatis in ecclesias assereret. Vnde si in instrumentis donationum haec formula occurrebat: *concessi vel dedi ecclesiam & praesenti charta firmavi*, quae vbiuis obuia est in antiquis chartis, nihil agi existimauit *ALEXANDER III.* si con-

Distinxere
inter collatio-
nem iuris pa-
tronatus &
donationem
ecclesiarum.

si consensus episcopi non accesserit: quia, ait in c. 5. cit. pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de iure donare; episcopo autem concurrente, vel ideo talis formula sana videbatur, quod tunc laicus tantum merum ius patronatus, non proprietatem quandam donasse videatur, quippe quam ei abiudicarunt pontifices. c. 7. X. de donat. Idem euincunt verba in c. 8. cit. quia laicus sine auctoritate episcopi nemini potest ecclesias dare, & denique idem sensus est c. 11. cit. ubi asserit, laicos non posse in alios nisi ius, quod habent, transferre, h. e. ius patronatus, quod neutiquam in proprietate ecclesiae consistere credebant, sed in simplici aliqua praesentatione. Hanc metamorphosin vel ideo introducere pontifices, tum ut laicos quam longissime a suis praesepibus arcerent, tum ut ius patronatus redigere pedetentim possent in eum statum, in quo illud primaeuo tempore fuit, ceu in prima periodo obseruauit, ut ut id plene perficere non potuerint. Hac de causa quoque factum, ut quaestio de iure patronatus controuerso ad fora ecclesiastica tracta sit, quae in foro seculari tractanda fuisset, si verum conceptum pontifices huic iuri reliquissent, c. 3. X. de iudic. quippe in quo in Anglia, Belgio, Gallia & plerisque locis tractata fuit. vid. MATTHAEVS Paris. in histor. Angl. ad ann. 1064. p. 84. FRANC. de ROYE de iur. patron. in proleg. c. 29. ESPEN P. II. iur. eccl. tit. 25. c. 2. §. 16. Ne quidem ergo ex mente interpretum dominum quoddam directum iis attribui potest, cum pontifex laicalem recognitionem videatur reprobasse in c. 21. X. de iur. patron. ad minimum, ut supra ostendi, interpretes admodum in hac re titubant, ut certum aliquod genus in definitione huius iuris exprimere haud audeant.

§. XXXIX. Asserunt proinde 1) hoc ius esse singulare, Ad simplicem praesentationem redigere conati sunt iuris patronatus, & eius essentiam fere vnice consistere in praesentatione personae ad beneficium vacans. Nec in hoc a sententia iuris

ris nouioris recedit FLORENSCIT. l. P. II. p. 81. quin potius afferit, *ius patronatus esse ius singulare moribus receptum contra tenorem & rationem iuris communis in gratiam fundatorum.* Neque tamen per praesentationem, prout a iure canonico concipitur, & ad quod potestas patronorum restringitur, adeo iuri ecclesiae praepiudicari videtur. Illi enim eum significatum dederunt, qui minus laederet ius episcoporum. Aiunt, in solius episcopi potestate esse, beneficia conferre iisque annexa munera ecclesiastica: totum hoc ius esse spirituale, quia ecclesiasticum: patronum tantum eligere, nominare, & in scriptis praesentare personam, cui episcopus ecclesiam, bona ecclesiastica & ipsum munus sacrum conferat; minime vero patronum de ecclesia & bonis eius candidatum inuestire. Ita primarius actus conferendi ecclesiam episcopo saluus & illibatus mansit iuxta statum illum, quem in prima periodo retuli. Quid enim, si quis sponderet, constitueretque, se ex patrimonio suo mille daturum esse illi, quem deus nominauerit? dicendum utique videtur, donationem primario accepto ferendam ei, ex cuius patrimonio haec liberalitas profecta est, vtut is quoque, qui donatarium nominauit, aliquid ad actum donationis transtulisse videatur. Simili ratione in iure patronatus non id agi arbitrantur, vt patronus ecclesiam conferat, donetue, quippe qui ius proprietatemque haud habere dicitur, sed tantum vt designet personam, cui episcopus, vt dominus beneficiorum, ecclesiam vacantem donet conferatque.

Inde instituendi seu inuestiendi ius episcopo assignarunt.

§. XL. Hunc in finem adhuc institutio episcopo attributa est, quae est nihil aliud, quam inuestitura abusiva de beneficio vacante ad praesentationem patroni facta, qua ipsa non quidem actualis possessio, sed in feudalibus inuestituris moris est, ius in ipsam ecclesiam confertur, reali

reali possessione eadem auctoritate postea accedente. vid. Dn. PRAES. in iur. eccl. proleg. §. 14. & seqq. Hanc adeo necessariam esse in ecclesiis iuri patronatus subiectis, ut sine illa candidatus ius nullum consequi possit, existimant, adeo, ut *laicalis recognitio* nihil operari possit, per c. 4. §. 7. 10. & 21. X. de iur. patron. Neque vero haec in *simplici ordinatione* quaerenda est, sed ab ea omnino distinguitur, ut laicis omnis *collatio* prorsus denegata sit. Haec disciplina ab illa, quam in *secunda periodo* retuli, magno pere discrepat, & in scholasticorum cerebro effabricata videtur. Eo enim tempore patronus tenebatur offerre clericum patrono 1) ad examen, 2) ad *ordinationem*, qua presbyterii gradum accipiebat: hoc facto, patronus, ut *dominus directus ecclesiae* ordinatum de ipsa ecclesia investiebat, & in ecclesiam suam introducebat. Quod si iam ordines receperat, ad minimum episcopi consensus erat necessarius, non ut conferret ecclesiam, sed ut praecaveret, ne pessimi, olim forsan subreptitè ordinati, his ecclesiis praeficerentur, quod diplomata, leges & testimonia §. 20. seqq. adducta, docent. Inde *ius patronatus* vocabatur *das Hirsch-Lehn*, quod virtute eius patronus inuestiret candidatum de ecclesiis & bonis ecclesiasticis. Imo sicuti *dominus feudi*, eo vacante, interim fructus ex feudo ad se reuerso percipit; ita quoque patroni ecclesiae suae vacantis *guardiam* siue *custodiam*, cuius fit mentio in c. 23. de iur. patron. sibi vindicabant, & interim fructus inde percipiebant. Hunc morem antiquum refert memoratque sed abolendum censet pontifex in c. 12. X. de poen. c. 13. de elect. in 6. constituitque in c. 4. X. de offic. ordin. ut potius constituantur oeconomi, qui debeant interim fructus colligere, & eos in ecclesiarum utilitatem expendere. Tale ius nouum vero in Gallia non esse receptum, sed patroni ius antiquum saluum mansisse, docet FRANCISCUS DE

ROYE *cit. tr. in proleg. c. 34.* vt vel inde appareat, ius *dominii directi* non vbiq̄ eneruari potuisse.

Huius innovationis incommoda.

§. XLII. Peperit vero pontificum Romanorum innovationio haec imprimis incommoda, vt interpretes non satis accurate amplius definire potuerint, in quonam proprie *ius patronatus* consistat, eeu supra vidimus. Id enita *dominium directum* vocandum esse, non admittunt decreta pontificum recentioris aevi, & tamen tale ex sua natura est, & in plerisque locis eius naturam retinuit, cum non facile passi sint patroni, veterem morem prorsus infringi & extingui. Ne quidem in Germania primaeva eius ratio, quae ex legibus in *periodo secunda* adductis obtinuit, prorsus extincta est, id quod effectus inde redundantes ostendunt, quamvis vtplurimum materiam litium praebere soleant. In quibusdam locis adhuc patronis salua est *institutio*, imo & ius remouendi presbyteros, vt in Marchia: in plerisque post *institutionem* ab Episcopo vel Superintendente factum pastorem de bonis ecclesiae inuestiunt, & *laudemium* quoque recipiunt, vt ex *iure paroch. Dn. PRAES. P. III. c. 1. §. 23.* liquet. Plerumque post praesentationem illis *ius vocandi* praeterea competit, si post examen approbatus est praesentatus, in quo sane antiqui iuris vestigium insigne consistit, adeo vt *in dubio* dicendum esse censeam, *vocationem* quoque patrono, postquam a consistorio approbatus est praesentatus, competere. Nec aliunde iura *honorifica*, vt vocantur, *onerosa & commoda* petenda sunt, quam ex dominio directo, quae tolli non potuere, licet conceptum huius iuris admodum turbauerit pontifex. Inde vulgatum illud:

*Patrono debetur honos, vnus vilitasque
Praesentes, praesent, defendat, alatur egenus.*

§. XLII.

§. XLII. Verum cum specialioribus controuersis *Conclusio ex*
 me intromittere haud possim, sed in eo vnice occupatus *hactenus dis-*
 sim, vt quid proprie *ius patronatus* sit, ostendam, satis *ctis.*
 me de hoc themate edisseruisse arbitror, si definitionem
 supra datam denuo repetam. Quamuis enim pontifices
 in eo toti fuerint, vt conceptum huius iuris variis innoua-
 tionibus obscurarent, non tamen eum penitus abolere
 potuerunt, sed in plerisque salua eius mansit auctoritas. Ster-
 ergo sententia nostra, ius patronatus esse *dominium dire-*
ctum patrono in ecclesiam competens, vi cuius a se praesent-
ratum, & ab episcopo approbatum & ordinatum, de bonis
eiusdem inuestit, & praeterea vt dominus directus quaedam
honorifica & vilia percipit, simul tamen onera nonnulla
ferre tenetur. Ceterum in quonam iura haec *honorifica,*
vilia & onerosa consistant, plenius ab interpretibus expo-
 nitur, quorum fontem seu causam adaequatam tantum
 aperuisse nunc licuit, cum conclamatum sit, in *iure feu-*
dali itidem domino feudi virtute *dominii directi* huiusmo-
 di iura, moribus legibusque determinata, completere.
 Imo si dicendum, quod res est, adhuc patronis magis *do-*
minium directum attribuendum esse crederem, quam in re-
 liquis feudis fieri solet, cum patrono vi eius onus *refici-*
endi ecclesiam, vt *suam*, incumbat, sub poena amissionis
 iuris, quale onus reliquis dominis feudorum nunquam iu-
 ra feudalia imposuere. Ita vero factum fuisse videtur, vt
 in *onerosis & odiosis* patronus pro *domino directo* adhuc ha-
 bitus fuerit, in ceteris non item, quae cum *philosophia cle-*
ricali conspirare videbantur. Verum hanc in forma
 iurisprudentiam merito deserimus, & rem, vti re-
 vera est, & esse debet, repraesentamus.

SOLI DEO GLORIA.



Halle, Diss., 1720
A-B1

ULB Halle 3
002 187 035



56

1078







1805.

13

1720

6a

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

QVA

IVRIS
PATRONATVS
GENVINA REPRAE-
SENTATIO

INDVLTV

FACVLTATIS IVRIDICAE

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNING. BOEHMERO

ICTO POTENTISS. REG. BORVSS. CONSIL.

INTIM. PROF. IVR. ORDINARIO

ET h. t. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMAS IN VTROQVE IVRE OBTINENDI DIGNITATES
SISTITVR

ET

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

D. IX. NOV. MDCCXX.

H. L. Q. C.

SVBIIICITVR

THOMA FRIDERICO GERCKEN

LVBEC.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.

